


*Bibliothèque numérique*


medic@

**Neri, Antonio. Antoni Neri Florentini,  
De arte vitraria libri septem, & in  
eosdem Christoph. Merretti med.D. &  
Societ. Regiæ Socii. Observationes &  
notæ. In quibus omne gemmarum  
artificialium, encaustorum & laccarum  
artificium explicatur.**

*Amsterlodami, aoud Andream Frisium, 1668., 1668.  
Cote : BIU Santé Pharmacie RES 12691*











Antoni Neri Florentini, *De arte vitraria libri septem, & in eosdem Christoph.* ... - [page 5](#) sur 515

Antoni Neri Florentini, De arte vitraria libri septem, & in eosdem Christoph. ... - [page 6](#) sur 515

1. de arti vitrariae  
2. de arti vitrariae  
3. de arti vitrariae  
4. de arti vitrariae  
5. de arti vitrariae  
6. de arti vitrariae  
7. de arti vitrariae

Suivez le Phare

de Paris

Extrait de la Bill.

retrouvé sur les quais

par M. J. B. Dumas

qui l'a remis


à M. Chaton

le 11 juillet 1882


avec le petit


mot ci-dessous.

—









NOBILISSIMO ac GENEROSISSIMO

DOMINO

D. THEODORO  
KERCKRINCK

Expertissimo Medicinæ  
Doctori

ANDREAS FRISIUS

S. P. D.

**M**Unuscum hoc,  
quod sponte ad te  
properabat, retine-  
re noluimus. Antonii Nerii  
*Ars Vitraria* est, hæc te sibi  
patronum postulabat, ac no-  
minis tui luce clarescere,  
\* 3 imo,

imo, quod novum dedicationis genus est, ab amica indignatione profectum, nomen tuum vel invito te in lucem proferre avebat. Cur enim, pro Deum ! cur tamdiu latitas ? cur non nisi paucissimi sciunt, Te in arte Chymica esse coryphæum ? Te in Anatomia inventisse, quæ hactenus nemo ? Te in conservandis ad venturam omnem posteritatem hominum corporibus vincere omnem antiquorum industriad, & omnem jaetantiam neotericorum ? Te dissectos animalium ocoulos,

los, postquam aqueus, crystallinus, ac vitreus humor omnis omnino expressus est, sine ulla inflammatione sanare, ac visum restituere? Te in Medicina plurima efficere, quæ quicunque viderunt, affirmant vix humanis viribus præstari posse? ut taceam, quorum me jussatua, & data fides mentionem facere prohibent: propter quæ et si

*Serta quidem, lauroisque tibi properamus  
amici,  
Munera privati sunt tamen ista laris.  
Curarum certe pretium tibi vile tuarum  
est,  
Si te nil aliud quam labor ipse juvat.*

\* 4

Si

Si famæ tubis, lituisque instructæ ante fores tuas excubanti per te vis infertur, & os quasi appositâ manu obstruitur, cur nos amici dissimulamus diutius? cur non in lucem protrahimus vel invitum? tam rara, tam nova, tam admirabilia à te vel inventa primum, vel diligentius, quam antea exulta latere dūtius non debent. Spernis amicos toties rogantes? Surda etiam aure repellis utcumque pro imperio orantes? en vindictæ genus invenimus: peragrabit hæc *Ars vitraria doctissimis*  
do-

doctissimi *Christoph. Merreti*  
notis illustrata omnem latè  
Europam, Angliam adibit,  
visitabit Italiam, peregrinabitur  
per Hispaniam, lustrabit Galliam, omnes obi-  
bit oras partesq; terrarum, deferet quaqua versum, &  
ubique cum hac justissima  
querela differet nomen  
tuum, clamitans, indignum  
facinus! latere ea, quibus  
tanti sumptus, tot labores,  
tot sudores impensi; quæ  
tanto ingenio inventa, tantâ  
diligentiâ excultâ, tanta in-  
dustriâ quotidie aucta sunt.  
Nescio quos hæc oratio in

\* 5 ex-

exterorum animis motus excitatibus, ego certe eam amica indignatione declamito: non tantum tui moverem exspectationem, nisi certus forem, te eam cum voles, facile superaturum. Hanc, inquis, mihi specie officiosæ dedicationis libertatem quodammodo eripis, & ab otioso labore, in quo conquiesco, ad laboriosum, à quo abhorreo, scribendi otium traducere cupis? ego vero ( dicam libero, sed dicam, erga genus humum animo pio ) non tam tui, quam communis boni gratia, percupio. Et hæc est urgens illa causa, cur hoc munuscum, ut ad te iret, se erumpere, è manibus conabatur: Tu suscipe amico vultu peccantem, si quid errat, admiratione, veneratione, & amore tui.

L E C.

L E C T O R

B E N E V O L E.

**A**Ntea quam pedem proferas, tribus  
te verbis alloquar necesse est. Ver-  
sionem tibi damus, operis non ita magni,  
sed quam, suā naturā difficultē, difficilio-  
rem reddidit ipsa materiæ de qua agitur,  
difficultas & ingens terminorum, ut vo-  
cant, artificialium copia. Etenim non id  
mibi tantum egisse videtur author noster,  
& qui in eundem commentatus est illu-  
stris Merrettus, ut intima artis vitrariæ  
secreta panderent, sed ut officinam tibi  
vitrariam, cum omni suo apparatu &  
artis instrumentis ante oculos ponerent,  
quorum nomina, ut ab artificibus pro cu-  
jusque facultate & ingenio efficta sunt,  
ita cœgre admodum, & non nisi cum mul-  
to verborum ambitu in alterius cuiusque  
linguae consortium transeunt. Quare cum  
in hoc præcipitio versaremur, nec satis  
nos expediremus, commodissimum usum  
fuit, id quod verbo uno vel altero explica-  
ri non poterat, subjectis tabulis æneis re-  
præsentare, ad quas te remittimus. In re-  
liquis

liquis vertendis ea libertate usi sumus, ut  
quicquid operis ratio exigere videbatur,  
quam id fieri à nobis commodissime pote-  
rat redderemus, sepositis quæ ter quater-  
ve repetita, nobis scribendi labore, tibi  
fastidium paritura videbantur. Neque  
enim, ut candide tecum agamus, usque a-  
deo male vel de industria tua, aut seculi  
nostrī & hujus libelli genio sentimus, ut  
quæ semel bene dicta sunt, sœpius dicenda  
fuisse putemus; qua in re si tua nos bene-  
volentia sublevaverit, est quod nobis  
gratulemur; sin, habemus magni inter-  
pretis Merretti exemplum, quo nos tuea-  
mur, qui ita alterius esse voluit, ut in his  
quæ Lectoris commodum spectant, suus  
esse non desinat. Atque utinam tanti viri  
labor aliquanto citius ad manus nostras  
pervenisset, atque ille nobis ad officinas  
aditus patuisset, quem negotii natura exi-  
gere videbatur! fallor, an alia rerum fa-  
cies esset. Nunc proprio remigio inter res  
abstrusimas & peregrini sermonis dia-  
lectos velificantes, id præstimus, quod  
præstari per tenuitatem nostram in tanta  
subsidiorm inopia potuit. Vale.

Index

# I N D E X & S U M M A

## C A P I T U M .

1. Ut sal ex pulviculo, soda &c. extrahatur.
2. Frittam Crystalli facere.
3. Modus alius extrahendi sal.
4. De aureo crystalli colore.
5. Ut sal ex filice extrahatur.
6. Sal aliud
7. Sal aliud pro crystallo.
8. Frittam ordinariam facere.
9. Crystallum perfectissimum facere.
10. Ut vitrum crystallinum fiat.
11. Ut sal tartari purificetur.
12. Ut Zaffera preparetur.
13. Magnesiam preparare.
14. Ut ferretum Hispanicum fiat.
15. Modus alius.
16. Ut crocus Martis fiat.
17. Modus alius.
18. Ut idem aliter fiat.
19. Modus optimus.
20. Aes tremulum calcinare.
21. Idem aliter pro diversis coloribus.
22. Aquae marinæ color.
23. Color cœruleus.
24. Pulvis ruber pro coloribus.
25. Aes ter calcinare.
26. Aquæ marinæ color in crystallo.
27. Observations generales.
28. Aes aliter calcinare.
29. Aquæ marinæ color elegans.
30. Idem color minus sumtuosus.
31. Prestantior alius.
32. Viride in vitro smaragdinum.
33. Aliud elegantius
34. Aliud magis prestantans.
35. Viride prestantissimum.

36. Co-

# I N D E X

36. Color cyaneus vel turcinus.
37. Contenta libri secundi.
38. Aquam fortē separationis facere.
39. Ut vitriolum purgetur.
40. Ut aqua Regia fiat.
41. Ut tartarum uratur.
42. Ut Calcedonius fiat.
43. Secundi generis Calcedonius.
44. Tertii generis Calcedonius.
45. Contenta libri tertii.
46. Aureum vitri colorem producere.
47. Color Granati.
48. Color Amethysti.
49. Color Saphiri.
50. Color Saphiri præstantior.
51. Color Niger.
52. Nigrum aliud pulchrius.
53. Aliud pulcherrimum.
54. Color lacteus.
55. Alius pulchrior.
56. Color marmoreus.
57. Color Persici in lacteo.
58. Rubrum plenum.
59. Crystallus montana.
60. Margaritæ color in crystallo.
61. Contenta libri quarti.
62. Plumbum calcinare.
63. Vitrum plumbi facere.
64. Modus elaborandi hoc vitrum.
65. Idem vitrum Smaragdi colore tingere.
66. Viride smaragdinum aliud.
67. Color topafii in hoc vitro.
68. Cœruleus vel aquæ marini color.
59. Color Granati.
70. Color saphiri.
71. Color aureus.
72. Color lapidis Lazuli.
73. Color viperæ in crystallo.

74. Color

C A P I T U M.

74. Color balassii, topasii, rubini &c.  
75. Contenta libri quinti.  
76. Ut crystallus montana præparetur.  
77. Ut smaragdus orientalis fiat.  
78. Smaragdi magis pleni.  
79. Pasta pro smaragdo elegans.  
80. Smaragdus alius pulcherrimus.  
81. Toparius orientalis.  
82. Chrysolitus orientalis.  
83. Color cœlestis.  
84. Color ex violaceo cœlestis.  
85. Saphirus orientalis.  
86. Saphirus colore saturo.  
87. Granatus orientalis.  
88. Idem magis plenus.  
89. Granatus magis elegans.  
90. Monita pastas & colores concernentia.  
91. Ratio faciendi has pastas.  
92. Modus alius melior.  
93. Contenta libri septimi.  
94. Encaustum lactis instar album.  
95. Encaustum Turcinum.  
96. Encaustum caruleum.  
97. Encaustum viride.  
98. Viride aliud.  
99. Aliud.  
100. Encaustum nigrum.  
101. Nigrum aliud.  
102. Idem aliter.  
103. Smaltum purpureum.  
104. Purpureum aliud.  
105. Encaustum flavum.  
106. —— coeruleum.  
107. —— violaceum.  
108. Lacca flava ex floribus genistæ.  
109. Extrahere laccam ex floribus & herbis.  
110. Idem alia ratione.  
111. Cœruleum Germanicum.

112. Turcio.

## I N D E X

- 112. Turcoidi nativum colorem restituere.
- 113. Mistura pro speculis.
- 114. Modus tingendi spheras.
- 115. Color cyaneus vel ultramarinus.
- 116. Lacca coccinea pro pictoribus.
- 117. Ut cocci color extrahatur.
- 118. Lacca ex ligno Brasiliensi & rubia.
- 119. Lacca ex granis Kermes.
- 120. Rubrum in vitro pellucidum.
- 121. Rubrum sanguineum.
- 124. Color Balaspii.
- 123. Ut Anima Saturni extrahatur.
- 124. Smaltum roseum, vulgo Rosichiero.
- 125. Encaustum roseum pro auro.
- 126. Ut sulphur figatur.
- 127. Vitrum sanguinis instar rubrum.
- 128. Smaltum aliud roseum.
- 129. Rubrum pellucidum.
- 130. Ut sulphur pro auro figatur.
- 131. De vitriolo Veneris,
- 132. Idem sine corrosvis facere.
- 133. De vitriolo Veneris plura.

C U.



## CURIOSO LECTORI.

**D**ubium nullum est, quin inter veros artis igniariæ fructus vitrum sit. Utut enim compositum & arte factum sit; quam proximè tamen accedit ad omne genus mineralium, & eorum, quæ medio inter mineralia loco habentur. Igne funditur & in eo permanet: quin auri, metalli perfecti & lucidi instar igne perficitur, purgatur & nitescit. Manifesta res est, usum ejusdem in vasis potoriis, aliisque homini inservientibus commodis multo magis liberalem, magisque venustum & nobiliorem esse, usu cujuscunque alterius metalli, vel lapidis, ad hæc talia apti. Etenim,

præ-

Præterquam quod vitrum facile, exi-  
guo sumtu, & nullibi non parari po-  
test; tenerius, nitidius & speciosius  
est, quām alia qualisunque materia,  
quæ quidem hodie nota sit. Porro,  
ad distillatoriæ & Spagiricæ artis  
usus, & componenda medicamenta,  
res est usque adeo utilis, ne dicam ne-  
cessaria, ut quasi impossibile sit, sine  
vitri adminiculo quidquam efficere:  
Hinc enim tot vasorum & instrumen-  
torum genera fiunt, qualia sunt, Cu-  
curbitæ, alembici, recipientes, peli-  
cani, retortæ, serpentinæ, phiolæ,  
vitra quadrangula, ampullæ, ova phi-  
losophica, pilæ, & infiniti generis alia  
vasa, quæ usus quotidie invenit, ad  
componendum alexiteria, arcana,  
quintas essentias, salia, sulphur, vi-  
triolum, mercurium, tincturas, sepa-  
rationes elementorum, omniaque ne-  
gotia metallica, & illius generis plura  
alia; præter aquas fortes & regias, tam  
necessarias illis, qui aurum ab argento  
separant, & rei monetariæ à Princi-  
pibus præfecti sunt, ut aurum & ar-

gen-

gentum perpurgent, atque ad perfectionem suam deducant. Tot certè beneficia, quod ad usus humanos attinet, vitro debentur, ut quasi impossibile videatur, sine illius ope vitam transigere: indeque haud secus atque ex omni alia re, maxima Dei providentia cognoscitur, quæ rei tam homini utilis & necessariæ materiam, ex qua vitra fiunt, ubivis terrarum usque adeò copiosè produxit, ut nullibi non parari facilime possit. Sed inter magna etiam templorum ornamenta vitrum est, quando præter multa alia tot ex vitro fenestræ fiunt, elegantibus picturis adornatæ, in quibus metallici colores tot modis & tanta vivacitate increscunt, ut totidem gemmæ orientales videantur: & in fornacem inditum, tot colorum, tantæque venustatis & perfectionis capax vitrum est, ut similis ei materia inventiri in terris non posse videatur. Inventionem vitri antiquissimam esse credimus, cum S. Scriptura Jobi 28. dicat: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*

*vitrum &c.* evidenti testimonio, inter antiquitatis inventa vitrum esse; dicente S. Hieronymo, inter Abrahami posteros, & filium Zanechi Jobum fuisse, qui per Esavum quinto loco ab Abrahamo descenderit. Multi volunt, & fortassis non sine ratione, à Chymicis inventum esse vitrum, qui gemmas æmulando vitrum reperint; non multum fortassis à vero abludente sententia, quando modum imitandi omnes gemmas libro quinto hujus operis evidenter demonstro; qua eadem ratione videre licet modum producendi vitrum ex lapidibus, qui per se nunquam liquefcerent, nec in vitrum abirent. Plinius vult, ad Beli fluminis in Syria ripam casu inventum fuisse vitrum, à mercatoribus, qui tempestate eo delati, dum necessitate cogente ibidem morantur, & cibi coquendi gratia focum in littore struunt, ubi ingens copia erat herbæ, quam plures *Cali* vocant, & è cuius cineribus *Soda* pariter & *Rocchetta* constant, vitrum fecerint; ignis vio-

violentia unitis sale & cineribus, illius  
herbae, cum arena & lapidibus ad vi-  
trificandum aptis : id quod intelle-  
ctui humano modum monstravit &  
rationem, quâ non vitrum modo, sed  
crystalli etiam, & crystallina, totque  
alia venuustissima opera, quæ vitro de-  
bentur, fierent. Fama præterea tenet,  
inventam Tiberio imperante ratio-  
nem, quâ vitrum malleabile fieret; res  
postea formidabilis visa, & hodie  
prorsus ignota. Etenim, si id nunc in-  
notesceret, ob elegantiam & incorru-  
ptibilitatem suam in majore quam au-  
rum argentumq; pretio vitrum esset,  
quando non rubiginem aliquam at-  
trahit, non saporem, non odorem, nec  
qualitatem ullam. Aliud etiam præ-  
terea grande commodum homini vi-  
trum adfert speculorum & perspicil-  
lorum usu : utut enim hæc crystallo  
naturali, quam montanam dicunt; illa  
verò ex æris & stanni partibus mixtis,  
quam chalybis misturam vocant, pa-  
rari possint, multo tamen utraque  
commodius, nec non impensâ mino-  
re,

re, & elegantiâ, effectuque majore ex  
vitro parantur: specula præsertim, quæ  
præter difficultatem & sumtum in  
cœnstruendo, vivas imagines æque ut  
vitrum non reddunt, & quod pejus  
est, brevi pallescentia nihil omnino  
repræsentant. Quare ex his multisque  
aliis rationibus concludere licet, inter  
res nobilissimas, quarum usus nunc  
quidem in terris homini datus est, vi-  
trum esse. Mihi, qui diutius in arte  
vitraria laboravi, plurimumque in ea  
vidi, propositum est, partem illius  
quod vidi & perfeci, aliquam publico  
dare. Utut enim modus parandi salia,  
decoctiones & pastas notus sit quam-  
plurimis; mihi tamen illud requirere  
operis materia videbatur, ut clare &  
distinctè, id quod ego facio, pertra-  
ctaretur, adjectis quibusdam observa-  
tionibus & regulis, quæ si probe con-  
siderentur, non omnino inutiles, sed  
fortassis necessariæ & paucis notæ vi-  
debuntur: ut de mea particulari me-  
thodo extrahendi sal nihil dicam, ex  
quo crystallus nobilissima fit. Quod

si

si artifex tam in laborando diligens erit, quam ego in docendo claris demonstrationibus utor, opus efficiet tam elegans & nobile, quam id fortassis hodie fit, aut fieri aliqua ratione poterit. Et hac quidem, omniq[ue] alia in re quam ego hic pertracto, inveniet diligens & curiosus operarius, me & scripsisse, & demonstrasse veritatem, non haustam vel acceptam ab alio aliquo, sed quam his meis manibus operando & experiendo didici; cum semper hic mihi scopus fuerit, ut nisi quod verum esset nihil scriberem dicerem ve. Quod si cuiquam experienti has meas compositiones & modos parandi colores, pastas & tinturas, id quod ego scribo, non succeſſerit, ne animum propterea despondeat, credatque me nugas scripsisse; sed hoc cogitet, errasse fese in aliquo, hi præſertim, qui istiusmodi negotiis nunquam manum admoverunt: impossibile enim est, ut prima vice Magistri evadant. Repetant igitur opus, eo quo à me scriptum est modo, &

sen-

sensim melius, tandemque perfectum erit quidquid egerint. Specialiter illud moneo, uti colorum ratio habeatur, quorum certa & determinata dosis præscribi non potest, sed praxi & experientia discendum, & oculo judiciorum discernendum est, satisne proportione operis & pastarum, quæ gemmarum imitatione fiunt magnitudine infectum colore vitrum sit, notando, quod gemmæ omnes, quæ substratis foliis auro includuntur, qualia sunt annuli aliaque istiusmodi, dilutum magis; contra, quæ auro inclusa in libero aëre dependent, ut inauria & res aliæ, magis plenum colorem requirant; quæ omnia doceri nulla ratione possunt, sed curiosi hominis iudicio relinquuntur. Notetur itidem, idque sedulò, ut colores & ingredientia benè præparata lævigateque sint; & ut tanto quivis magis securus esse possit, ipse colores, eo quo dixi modo præparet faciatque, quisquis exquisiti aliquid facere in animo habet.

Ignis

**I**gnis in hac arte non levius momen-  
ti, sed talis est, ut rem omnem ab-  
solvat, & fieri absque eo nihil omni-  
no possit. Cum ratione igitur adhi-  
bendus est, & speciatim ex lignis du-  
rioribus & aridis, vitandusque fu-  
mus, ut qui semper noxius est, maxi-  
mè in fornacibus, ubi ollæ & vasa  
semper patent, vitrumque ipsum mi-  
nus perfectum evadit valdeque de-  
forme. Ulterius dico, si quidem o-  
perarius diligens & exercitatus fue-  
rit, nec non accuratè, eo quo à me  
scriptum est modo egerit, inveniet  
vera esse, quæ hoc libro continentur  
omnia, nec me quidquam divulgasse  
& publico dedisse, nisi quod opere  
ipso probatum est: ac si cognovero  
publice gratos esse hos meos labores,  
ut quidem spero, ipse mihi fortassis  
animos addam edendi etiam alios  
meos labores chymicos & spagyricos,  
quos per tot annos in diversâ parte  
terrarum sustinui: nec credo, si usus  
& commoda hominum respicias,  
quidquam in rerum natura maius

A anti-

antiquitati notum fuisse: quæ qui-  
dem antiquitas ex hominibus in hac  
arte subactis Deos fecit, eosque Deo-  
rum loco habuit, & divinis honoribus  
prosecuta est. Non extendam me  
ulterius. Etenim quia particularia  
quæque in hoc opere usque adeò  
clarè & distincte descripsi, securus  
sum animi, impossibile ferè esse, ut  
errare quis in tam regia via, nisi vo-  
lens, possit, tantum ut artis experi-  
mentum ante faciat, exerceaturque.  
Quare omnia mea tam in bonam par-  
tem capiantur velim, quam ego præ-  
sens hoc opus candidè, primò in  
gloriam Dei, & postea in usus utilita-  
temque omnium perfeci.

Con .

# Contenta universi operis.

Demonstratur verus modus extra-  
bendis al ex pulvisculo, rochetta orien-  
tali, soda Hispanica, filice aliisque her-  
bis, quas Thuscia affatim suppeditat,  
parando decocto, quod Bollito, & cry-  
stallum artificiale vocant: nee non  
methodus chymice extrabendi hæc salia,  
perficiendo crystallo mirabiliter: item modus  
parandi frittam crystalli, crystallini &  
communis vitri, crystallique montanæ.  
Cum modo ita præparandi multos co-  
lores, ut multo magis splendeant; ma-  
ximamque eorundem partem in vitro  
producere, quales sunt picæ marine,  
aureus, granati, amethysti, sappiri,  
holosericus niger, marmoreus, carneus,  
lacteus, persicus, baccarum orientalium,  
aëreus & berillinus: cum modo faciendi  
vitrum plumbi, quod colorem smaragi  
orientalis, topasij, chrysopatij, cælestem,  
sappiri, aureum, incarnatum, aliosque  
referat. Modus item tingendi crystal-

C 2                      lum

lum montanam colore permanente rubi-  
ni, balassii, topasij, opali, beliotropii: &  
verus modus faciendi pastam omnium  
colorum, quæ verum smaragdi, topasij,  
chrysopatij, sappbiri, granati & berilli  
colorem reddat: cum modo novo chymis-  
eo, quo magis duri, & solito magis ve-  
nusti reddantur: nec non modo parandi  
omne genus encaustorum, pingendo va-  
riis coloribus auro, præsertim roseo &  
rubro transparente, id quod in Europa  
novum est. Modi item facillimi extra-  
bendi laccam ex granis Kermes, ligno  
Brasilensi, rubia tinctorum, floribus  
genistæ, liliis, floribus brassicæ, borra-  
ginis, rosis agrestibus, balaustiis, rosis  
rubris, incarnatis, omnique alio herba-  
rum & florum genere; cum modo fa-  
ciendi colorem ultramarinum, aliasque  
res curiosas.

A n-

ANTONI NERI I

Florentini

D E

# Arte Vitraria

Liber Primus.

## C A P U T I.

*Extrahere sal ex pulviculo, Rochetta & Soda Hispanica, quo fritta crystalli, Italio Bollito dicta, fit, quod artis vitrariae fundamentum est: cum novo quodam & secreto modo.*

**R** Ulvisculus vel Rochetta, quæ ex Oriente & Syria advehitur, cinis est herbae cuiusdam ibidem abundantis. Dubium nullum est, quin sal multo quam *Soda Hispanica* candidius reddat: ideoque si cui animus est crystallum facere omnibus numeris absolutam, sale id fiat extracto ex pulvere vel rochetta orientali; soda enim Hispanica, utut plus salis contineat,

A 3 neat,

neat, crystallus tamen sale illius facta, semper cœrulei quid refert, neque illum colorem, candorem & elegantiam habet, quam ex pulvere vel rochetta orientali facta obtinet. Modus autem perfectè extrahendi sal ex rochetta pariter & soda, is est qui sequitur, & quem ego sæpius expertus sum.

Cinis Syriacus pistillo ferreo in pila lapidea contusus, cribretur cribro angustiore, ut solus cinis transeat, non frustula: in hoc enim consistit omne plus minusve salis extrahendi artificium. In emenda hac vel illa specie illud servetur, ut quæ plus salis continet eligatur; id quod lingua & gustu cognoscitur: tutissimus tamen omnium modus est, crucibulo experimentum facere, & videre, utrum arenæ plus habeat, an tarsi; id quod inter artis rudimenta, & his qui vitra conflant notissimum est.

Ad sint lebetes ænei cum suis furnulis, quales tinctorum sunt, iisque vel maiores vel minores, pro majore vel minore

minore conficiendi salis copia. Hi lebetes aqua impletantur limpida, adhibeturque ignis ex ligno non fumante arido, & ubi jam aqua bene bullire cœperit, injiciatur ea cibrati pulveris quantitas, quam bullientis aquæ copia requirere videbitur, contineturque ignis & aqua bulliat usque ad consumptionem tertiae partis, agitando illam semper in fundo palâ ligneâ, ut pulvis aquæ incorporetur & sal omne extrahatur. Inde repleantur lebetes recenti aqua, bulliantque ad consumptionem usque partis dimidiæ, & paratum erit lixivium, sale fœtum. Cæterum ut sal tanto magis candidum & copia majore exeat, in lebetes, ante pulverem, ubi jam aqua bullire cœperit, injiciantur libræ decem grumorum, qui cadis vini rubri adhærere solent, & vulgo *tartari* nomine veniunt, ad nigredinem usque adustorum, solvanturque in aqua illa calida, quam palâ ligneâ agitabis, atque tum demum pulverem addes, ut

A 4                  supra.

supra. Hic addendi tartari modus se-  
cretus est, quo plus salis acquiritur, &  
crystallus candidior fit magisque spe-  
ciosa. Ubi jam duæ tertiae bullientis  
aquæ exhalaverint, & fœtum sale li-  
xivium fuerit, minuatur ignis, po-  
nunturque ordine aliquot vasa terrea,  
quæ per sex dies aqua communi re-  
pleta fuerint, ut tanto scilicet minus  
lixivii & salis imbibant, magnisque  
cochlearibus æneis cineres simul &  
lixivium ex lebete transfundatur in  
vasa illa terrea, illisque repletis, bidui  
spatio stare permittatur, quo exacto,  
subsidente interea cinere, lixivium  
omne limpidum, sensim, ne quid-  
quam à fundo ascendat, atque opus  
turbet, cochlearibus æneis in alia vasæ  
transmittatur, & per alterum biduum  
stare permittatur, subsidentibusque  
denuo reliquis terrestribus particulis  
lixivium eo magis clarum & limpi-  
dum reddetur, idque tertio repeta-  
tur, & lixivium habebis limpidissi-  
mum, & ab omni terrena sorde libe-  
rum,

rum, ex quo postea sal paratur satis purum perfectumque. Impleantur denuo lebetes, denturque in singulos lebetes tartari, ut supra, libræ decem, nec non pulveris quantitas solita, continueturque opus dum aliqua pars materiæ superfuerit. Ut jam dictum lixivium constringatur & sal extrahatur, primum lavandi erunt lebetes aquâ purâ, adimplendique hoc purgato clarificatoque lixivio, bulliantque lente, ut supra; hac adhibita cautela, ut lebetes perpetim dicto lixivio adimplentur, donec crassescere lixivium & sal projicere cœperit, id quod viginti quatuor horarum spatio, aut circiter, evenire solet, ut in superficie lebetis sal reticuli aut telæ instar candidum apparere incipiat: tunc adsit tudicula, pluribus in locis perforata, teneaturque in fundo lebetis, ut quicquid salis subsederit excipiat, quod successive, atque ita eximes, ut lixivium guttatum in lebetem effluat, indaturque sal in vasa terrea, ut

A 5 per-

percolare lixivium tanto melius pos-  
sit, quæ colatura denuo excepta in  
lebetem immittitur: sal autem sicca-  
tur, eâdemque ratione proceditur,  
usque dum omne ablatum fuerit.  
Notandum autem est, ut ubi appa-  
rere sal cœperit, ignem adhibeas len-  
tum. Etenim si violentum adhibeas,  
sal lebeti adglutinabitur, & quia po-  
tens admodum est, lebetem corrum-  
pet, id quod mihi nonnunquam ac-  
cedit: quare hoc supra omnia obser-  
vandum, magnaqua adhibenda dili-  
gentia est. Sal autem ex vasculis, ubi  
bene percolatum fuerit, eximatur,  
mittaturque in scrinium vel recepta-  
culum ligneum, ut omnis humiditas  
tanto melius absumatur, id quod plu-  
rium dierum spatio, & pro anni tem-  
pestate citius vel tardius evenire solet.  
Totum autem conficiendi plurimum  
egregii salis artificium in tartaro si-  
tum est, ut supra demonstravimus.  
Ego ex libris tercentum cineris orien-  
tal is ordinarie ab octuaginta in non-  
agin-

aginta libras salis extraxi. Ubi jam  
sal bene siccatum fuerit, frangatur  
grossio modo, & mittatur in fornacem  
calcariam, ut lento admodum  
calore siccetur, & instrumento fer-  
reo, quod rutabulum arrifaces vocant  
diffringatur, misceaturque haud se-  
cus ac fritta solet. Absumpta jam o-  
mni humiditate in fornace moderate  
calida, eximatur sal, tundaturque in  
pila lapidea, & cribretur angustiore  
cribro, ne grana salis, quæ excidunt,  
majora sint granis frumenti. Hoc sal  
ea ratione contusum, cibratum &  
ficcatum, seorsim, & in loco ab omni  
pulvere immuni adservatur, ut inde  
fritta crystalli fiat, id quod eo qui  
proxime sequitur modo fit.

A 6      C A P .

## CAP. II.

*Modus, quo Fitta crystalli, vulgo  
Bollito dicta fit.*

**C**rystallum facturus pulchram & omnibus numeris absolutam, id age, ut *tarsum* habeas candidissimum. Murani silice utuntur Ticinensi, cuius lapidis in Ticino flumine ingens copia est. Tarsus marmoris duri & candidi species est, quæ in Thuscia ad pedem Verrucolæ Pisarum, nec non Seravezæ, & Massæ di Carrara, itemque in *Arno* flumine subter & supra Florentiam, alibique nascitur, & vulgo satis nota est. Hujus ergo Tarsi illam tibi speciem parabis, quæ candidissima sit, & venis nigris, maculisque croceis, & omni rubigine careat: animadvertisendo, quod omnis lapis, qui chalybe vel ignitabulo percussus ignem reddit, vitro vel crystallo aptus sit: & contra, quod omnes illi lapides, qui ignitabulo vel chalybe percussi ignem non reddunt,

nullo

nullo unquam tempore in vitrum abeant, id quod monitorii loco inservire poterit, ad discernendum omne genus lapidum. Hic tarsus, quam maxime pulcher & candidus minutatim contundatur in pulverem, idque in mortario lapideo, non alio quoque metallico, ne, quod eventurum esset, colorem metalli attrahat, vitrumque & crystallum eo colore infectam minus absolutam reddat. Pistilla ferrea sint necesse est. Tarsus bene & exacte pulverisatus cribretur cribro angustiore: omnis enim negotii cardo in eo vertitur, ut tarsus in modum farinæ quam optime tundatur, & per angustissimum cribrum transeat. Et recipiantur, exempli gratia, hujus tarsi optime pulverati libræ bis centum, nec non salis pulverei triti, & cibrati ut supra, centum & triginta aut circiter libræ, omniaque optime misceantur, unianturque, atque ea ratione mixta unitaque in fornacem calcariam probè calefactam

Etiam mittantur: si enim in frigidam fornacem mitterentur, fritta non fieret. In principio per horæ unius spatiū ignis adhibetur temperatus, ita tamen, ut rutabulo fritta nunquam non misceatur, tantoque melius incorporetur calcineturque. Postea augatur ignis, miscendo semper frittam rutabulo, id enim ad rem plurimum facit: eademque ratione procedatur per quinquehorium, adhibendo semper ignem potentem.

*Calcaria* fornacis calcinatoriæ species est, qua in conflandis vitris utuntur: res maxime nota & vulgaris. *Rutabulum*, instrumentum ferreum & oblongum, & inter vitrarios non minus notum est, quo fritta continue movetur. Exactis ergo quinque horis frittam eximi è calcaria curavi; eo enim temporis spatio, siquidem ignis recte administretur, prompta & parata est: atque hanc frittam, ad arcedum omnem pulverem, velamento quodam opertam in tabulato, loco

ficco

sicco seposui; magna enim diligentia opus est, si crystallum desideras venustum. Fritta, eo, quo diximus modo facta, nivis instar candida est. Si tarfus macer fuerit, addantur ad prædictam dosin salis libræ circiter decem. Sed qui in arte exercitati sunt, è prima semper fritta argumentum capiunt, mittendo partem ejus aliquam in crucibulum, indeque in patinam vitream mundam, ut videant, an bene & cito coëat: quo ipso etiam apparet, tenerior an dura sit fritta, ac proinde salis dosis vel augetur vel minuitur. Hæc fritta crystalli, ut supra dictum est, loco sicco adseratur; humida enim & terrestria loca non fert, sed dissoluto sale in aquam convertitur, solo remanente tarso, nec unquam in vitrum abit. Sed neque, ut alias fieri solet, humectatur hæc fritta, & si eâ ratione præparata per tres vel quatuor menses adserveatur, operi magis apta est, & tanto citius unitur. Atque hic modus est

fa-

faciendi frittam crystalli, cum sua  
dosī, & circumstantiis, qua ratione  
illam s̄epius feci.

## C A P. I I I.

*Alius modus novus, & à me inventus,  
extrahendi sal ex pulvere, quo cry-  
stallus æquè formosa & pellucida fit,  
quam montana crystallus est.*

**R**ecipiatur pulvis orientalis bene  
cribratus, mittaturque in am-  
pullas vitreas in fundo lutatas, quas,  
ubi prius aqua communi repletæ fue-  
rint, in fornace super cineres vel are-  
nam repones, adhibitoque per aliquot  
horas igne temperato, aquæ pars di-  
midia evaporare permittatur. Refri-  
geratâ postmodum fornaculâ, quic-  
quid supereſt aquæ, leniter decante-  
tur, in vasa terrea vitriata, affusaque  
super pulverem recenti aqua, bulliat  
ut ante, idque toties & tam diu itere-  
retur, usque dum aqua sal omne ex-  
traxerit, id quod gusto simul atque  
oculis

oculis cognoscitur, si nimirum aqua  
salsedinis nihil habeat, & coloris om-  
nis expers sit. Hujus lixivii quantum  
quisque voluerit recipiatur, idque  
filtretur, & filtratum per dies qua-  
tuor vel sex in vasis vitriatis quiescat;  
ea enim ratione magnam partem illius  
terreni quod continet, deponet. Inde  
filtretur denuo, eritque purificatum,  
& à maxima parte terrestrium parti-  
cularum separatum lixivium. Mitta-  
tur denuo in ampullas in fundo luta-  
tas, adhibitoque lento igne arenæ  
vel cinerum evaporare permittatur,  
animadvertisendo, ut ubi materia sic-  
cata fuerit, ignis adhibetur quam  
maxime moderatus & lenis, ne sal  
adustum corrumpatur: quo bene  
siccato exemptoque dispiciendum  
est, integrane sint illa vasa in fundo,  
an rupta, quod frequenter accidit,  
quo casu sal in alias ejus generis am-  
pullas in fundo lutatas & aqua com-  
muni repletas immittendum, & in  
fornace super arena vel cineribus de-

ti-

tinendum est. Semper autem octavam illius aquæ partem evaporare sines, refrigerataque postmodum fornace effundenda est aqua sale plena in vas a terrea vitriata, & ubi per viginti quatuor horas requieverit, filtretur diligenter: fæces enim aliasque terrestres particulas deponet. Exhalet hoc lixivium filtratum in ampullis vitreis ad lendum, & ubi jam ferè exhalaverit ad summe temperatum ignem, ne sal aduratur, quod denuo missum in ampullas aqua communi solvitur ut supra, iteraturque hic labor, usque dum sal nihil fecum aut terrestris materiæ post se relinquat: tunc enim purum erit atque perfectum, ex quo, nec non tarso subtili & candido, frittam facies, & crystallum, tantæ pulchritudinis & candidi splendoris, ut crystallum montanam orientalem superatura sit. In vitreis autem, non æneis vasis peragendus hic labor est. Etenim sal nunquam non aliquid coloris metallici attrahit, ideoque semper

per virescit. Hæc ut magis laboriosa via sit, minusque salis reddit, crystal-lum tamen dabit quovis magno Prin-cipe dignam, ut inde omnis generis vasa & labores fiant. Atque hoc meum inventum est, cuius ego cum magna mea delectatione & felici suc-cessu multoties experimentum feci.

---

**C A P. IV.***De aureo crystalli colore  
observatio.*

**N**Otetur, quod fritta sale pulve-ris, cui sal tartari admistum est, facta, ad imbibendum auri colorem, inepta sit, nec unquam istiusmodi color, ex ea educi possit; sed reliqui in universum omnes. Quare ut au-reum colorem habeas, frittam facies ex mero sale pulveris, ut supra puri-ficati: nisi enim hoc fiat, aureum colorem non acquires.

**C A P.**

## C A P. V.

*Modus extrahendi sal ex herba, quam  
filicen vocant, quo crystallus satis  
elegans fit.*

**P**is experimentum feci cineris herbæ cuiusdam, quæ vulgo *Filix* vocatur, & in *Thuscia* copiose crevit. Hæc herba virens sub finem mensis Maii ad dimidium usque Junii resecanda est, idque crescente Luna & oppositioni vicina: summè enim tunc perfecta est & sal reddit copiosius, magisque candidum & notæ melioris, quam si alio tempore resecetur: si enim siccari per se supra terram permittatur, exiguum salis minime boni copiam præbet. Resectâ ergo ut supra, & accumulata, statim flacessit, & si comburatur optimum cinerem relinquit, ex quo seivatis regulis, ut supra de sale pulveris orientalis ditum est, sal extrahitur purificatum & bonum, ex quo, nec non tarso pulchro & bene cribrato frittam feci,  
quæ

quæ in patella optime percolata crystallum mihi dedit pulchram, & solito magis dulcem. Satis enim roboris habebat, & magis quam crystalli natura fert flectebatur. In tenuia enim fila duci potest, quemadmodum ego illam duci curavi. Hæc fritta aureum colorem mirum in modum reddit, tantum ne sal tartari addatur, ut supra annotatum est; & aureus ille color, quem hoc crystalli genus reddit, multo sese exerit venustius, quam in crystallo ex sale pulveris orientalis facta, & ex eodem non minus, quam hoc priore omnis generis vasa fieri possunt.

## C A P. VI.

*Modus parandi sal aliud, ex quo crystallus fit stupendæ pulchritudinis.*

**P**Aretur secundum predictam methodum cinis ex siliquis & culmis faba-

fabarum siccatarum, excussis antea fabis, & ex hoc cinere, servato eodem, ut in sale pulveris orientalis ordine, sal extrahitur admirandum, quod cum tarso candido & bene cribrato, ut supra fusè dictum est, frittam nobilissimam, & crystallum reddit elegantissimam. Idem fieri ex cinere braslicæ, & rubi spinosi, qui moros fert, nec non cinere scaporum panici, juncorum item atque canarium palustrium, multarumque aliarum herbarum, que sal suum dabunt, ex quo fritta more solito facta cristallos reddit formosissimas, ut curiosus quisque experiri poterit. Longe enim plus experientia docet quam diuturna studia.

CAP.

## C A P. VII.

*Sal ex quo crystallus satis  
venusta fit.*

**E**xtrahatur sal ex calce muraria & depuratum admisceatur sali pulveris orientalis ordinatii, ad rationem librarum duarum in centum : id est librae duæ salis calcis addantur ad salis pulveris ut supra facti, libras centum. Ex hoc sale ita mixto, ordinario more fritta fiat, mittaturque in patellam ut purgetur, quemadmodum postea dicetur, ubi de modo faciendi crystallum crystallinam & vitrum commune agetur : ita enim crystallum habebis satis venustam & pulchram.

## C A P. VIII.

*Modus faciendi frittam ordinariam,  
ex pulvere scilicet orientali, rochetta  
& Soda Hispanica.*

**F**ritta nihil aliud est, quam calciatio materialium ex quibus vitrum

trum fit. Utut enim vel citra calcinationem liquefcerent, & in vitrum abirent, id tamen non sine dispendio temporis & fastidio magno succederet. Quare inventa ratio est, ut fritta in fornace, vulgo *calcaria* dicta calcinetur. Etenim ubi bene calcinata, & pondus materialium justum fuerit, habita scilicet ratione bonitatis Sodæ, in olla celerrimè funditur & mirè purgatur. Fritta quæ ex pulvere fit, vitrum candidum, sed commune dabit. Fritta quæ ex rochetta, sed orientali fit, vitrum dat formosissimum, quod crystallinum vocatur. Soda Hispanica utut magis unguinosa plerumque fit, vitrum tamen minus candidum, minusque formosum reddit, quam rochetta orientalis. Semper enim aliquid ex cœruleo trahit.

Ut ergo singula rite præparentur, pulvis cribretur cribro angustiore, & quæ non transeunt minutæ, in mortario lapideo, nec aliter, tundantur,

ne

ne colorem attrahant. Idem de rochetta & soda, sed separatim fiat, idque agatur, ut omnia bene tundantur, transeantque per cribrum angustum. Etenim ut vulgare vitrarium proverbium fert, in cribro angusto & lignis aridis situm est omne decus fornacis. Qualis ergo cunque Soda& quantitas detur, libræ centum Soda&, exempligratia, requirunt ordinarie libras octuaginta quinque usque ad nonaginta tarsi, quem secundum ea, quæ de crystallo dicta sunt, necessum est subtiliter tundere in mortario lapideo, non alio, & tum demum tralicere per cribrum angustum, idque ea quantitate, quam bonitas & pinguedo sodæ requirit, de qua experimento tibi constare debet, ut in arte notum est. Arenæ postea, & maxime illius, quæ in Hetruria & Arni valle nascitur, tarsoque pinguior est, & plus salis continet, semper libræ sex vel octo in singulas centum libras dantur. Hæc tamen arena

B              bene

bene antea lota, & ab omni forde purgata, & postremo bene cribrata sit necesse est, ita enim vitrum reddit candidum & pulchrum. Tarsus tamen elegantius vitrum præbet, quam alia qualiscunque arena, quæ in Hetruria nascitur. Ubi jam inventa fuerit debita dosis arenæ vel tarsi, primum optime miscenda est cum soda vel pulvere orientali bene cribratis, & sic mittenda in calcariam calentem, & bene extendenda, miscendo & agitando omnia ope rutabuli, ita ut bene calcinentur, continueturque hic labor, usque dum omnia coëant in massam vel frustula magnitudine nucis Ponticæ, idque per horas quinque, servato eodem gradu ignis. Et enim si ignis debitè continuatus, & materia rutabulo quinque horarum spatio bene agitata fuerit, fritta omnibus numeris absoluta evadet, id quod cognosces, si abrupta à refriescente materia aliquâ ejusdem particulâ levis atque ita candida apparet,

reat, ut tamen flavedinis non nihil secum ferat. Diutius autem quam per horas quinque frittam calcinare licet. Quanto enim plus agitata, quanto melius calcinata est materia, tanto in olla solvitur citius, & aliquanto diutius in calcaria permanens deponit consumitque rudem illam flavedinem, quam secum vehit, vitrumque magis purgatur. Exemta jam è fornace fritta, ita ut est calida & ignita, tribus vel quatuor modiolis frigidæ perfunditur, & aliquanto post in loco humido frigidoque seponitur. Lutum autem quod superat, cum sal conficitur, ut plurimum in eadem vasa immittitur, quibus lixivium pulveris continebatur, adjectaque communi aqua, quicquid per illud lutum paulatim restagnat, submissis catinis excipitur, & lixivium satis acre præbet, quod ubi subsidere & clarescere cœpit, seorsim servatur, eoque fritta per intervalla conspergitur quæ quidem fritta loco humido

B 2 accu-

accumulata , atque hoc lixivio per duos vel tres , aut quod melius est plures menses conspersa , lapidis instar concrescit , ut ligone opus sit ad diffringendam illam , atque tunc paucis admodum horis in olla liquefcit , vitrumque reddit candidissimum , & crystallo fere simile . Lixivium enim illud sal ei suum largitur , cuius hic effectus est . Quod si lixivium istiusmodi ad manum non sit , aqua communis conspergatur , quæ ut ut easdem quas lixivium vires non habeat , utilis tamen est , & fusionem promovet . Et fritta quidem semper spatium aliquot mensium requirit : augetur enim ea ratione , minus lignorum absunt , vitrumque reddit magis candidum & operi aptum .

---

C A P. IX.

*Crystallum perfectissimam facere.*

**R**Ecipe frittam crystalli , sedulo , & ad normam eorum , quæ in prin-

principio dicta sunt, factam, eamque  
in ollam conjice, semotis quæ colo-  
res continent ollis aliis : fumus enim  
metallorum, quibus major colorum  
pars conficitur, crystallum reddit de-  
formem & pallidam. Ut autem can-  
dida, fulgens & venusta fiat, frittæ  
in ollam demissæ tantum magnesiæ  
da, quantum ollæ magnitudo & ca-  
pacitas requirit, id quod in illorum  
qui vitra conflant experientia con-  
stitut, & ab eorum munere dependet.  
Magnesiam autem intelligo Pede-  
montanam, præparatam uti postea  
dicetur. Fornax lignum requirit du-  
rum aridumque, quale quernum.  
Mollioribus enim lignis quasi inter-  
mortua nihil agit. Præterea necel-  
sum est, ut astidue & leniter instige-  
tur, excitandæ flammæ & fumi vitan-  
di gratia, id enim ad venustatem cry-  
stalli plurimum facit. Liquata benè  
fritta eximatur ex olla, mittaturque  
in labrum grande terreum, frigidâ  
repletum, vel in vasæ lignæ munda,

B 3 pro-

projici etenim in aquam vult, quo illud efficitur, ut salis quoddam genus, *Alcali* dictum, absumatur: quod quidem sal crystallo noxiū est, illamque obscuram & nebulosam reddit, atque in causa est, ut, quod fœdum visu, in opere ipso sal expuat. Mittatur denuo in ollam puram, & sæpius, pro rei exigentia, in aquam projiciatur, ut crystallus ab omni sale libera & immunis sit: totum autem hoc negotium à peritia vitrarii dependet. Inde per quatuor vel sex dies bulliat, ac quam id fieri potest minime ferro moveatur, semper enim tinteturam ejusdem nigricando recipit. Ubi jam exacta & clara fuerit, vendendum est, satisne magnesiæ contineat, ac si aliquid ex viridi colore trahere videbitur, magnesiæ plus addendum est: animadvertisendo, ubi crystallum querimus formosam, semper adhibendam esse magnesiam Pedemontanam, ut *Morani* fit: quæ enim ex Thuscia & Liguria advehitur,

plus

plus ferruginei coloris continet, ac nigrum semper opus reddit, ideoque vitrarii Pedemontana semper utuntur, ut qua meliorem non agnoscant. Parcè autem & cum judicio addenda est magnesia: colorem enim crystallo tribuit ferrugineum, qui tandem in nigrum degenerat, eidemque splendorem detrahit. Additâ magnesiâ vitrum bulliat, usque dum colorem acquirat clarum & fulgentem. Proprium magnesiæ in debita quantitate adhibitæ hoc est, ut ablata rudi viriditate crystallum perficiat, eique candidum splendorem tribuat. Parce igitur & gradatim adhibenda est, ne crystallum corrumpat: totum autem hoc negotium à diligentis & ingeniosi artificis peritia dependet, nec fondus aut mensura certa dari potest. Ubi jam crystallum habueris exactam limpidam & formosam, id age, ut sine interruptione in talia vasa vel opera formetur, quæ tibi quam maxime arrident, minore tamen quam

B 4

in

in elaborando communi vitro igne,  
sed maxime lucido, & ex lignis durioribus & aridis, sine fumo. Instrumenta autem ferrea, quibus operarius utitur, munda & polita sint, advertendo, ne collum vel extremitas vitri, qua cannæ adhæret, in ollam crystalli projiciatur, semper enim aliquid ferræ coloris secum trahit, quod crystallum vitiat. Hoc ergo specialiter notandum, & particula illa vitri, quæ cannæ annexa fuerat, in ollam vitri communis conjicienda est, unde minoris momenti vasa conficiuntur, quibus hoc nihil obest. Atque hic modus est elaborandi crystallum, quo semper usus sum.

---

C A P. X.

*Ut crystallinum & vitrum candidum,  
alias vitrum commune dicatum fiat.*

**S**i frittam pulvere factam in ollam miseris, vitrum habebis candidum

dum & pulchrum, quod vitrum commune vocatur. Quomodo autem fritta ex pulvere & rochetta fiat, suo loco perspicue demonstratum est. Quod si frittam rochettā factam adhibeas, vitrum habebis pulcherimum, quod medio inter vitrum commune & excoctum, *Bollito* dictum, loco est, & crystallus vocatur. Fornax semper calefiat lignis durioribus & siccis, cavendo fumum, qui semper noxius est, & nigrum opus reddit. Vitro, tam communi, quam crystallino sua dosis, & sua magnesiæ Pedemontanæ præparatæ pars detur, ut de Bollito vel crystallo dictum est, & pulchrum evader. Magnesia enim quicquid viriditatis habent aufert. Crystallinum semper in aquam projiciendum est, & vitrum habebis candidum & speciosum. Idem vitro communi fieri potest, ut perfectum evadat. Inde in ollam redeant more solito, & ubi purgata fuerint, elaboranda sunt, prout usus postulat: notan-

B 5 do,

do, projectionem in aquam in unius-  
cujusque arbitrio sitam esse, & omit-  
ti, si voles, posse: at verò si vitrum  
solito formosius desideras, necessaria  
est: præterquam enim quod vitrum  
reddit candidum, etiam hoc ei præ-  
stat, ut calcinetur & bene purgetur,  
minusque pustularum habeat. Ani-  
madvertendum etiam quam maxime  
hoc est, si libris centum crystallini  
totidemque communis vitri, singu-  
lis seorsim, libras decem salis tar-  
tari purificati addideris, vitrum ef-  
ficies & crystallinum citra controver-  
siam solito elegantius & operi magis  
aptum, cavendo ne in crystallinum  
projicias extremitates illas vitri, quæ  
cannæ ferreæ adhærent; semper e-  
nim colorem nigrum progernerant,  
ideoque in vitrum commune proji-  
ciuntur. sal tartari addendum, inte-  
rim, dum fritta sit, miscendumque  
cum tarso vel arena, & cum pulvere  
vel rochetta cibrata, frittaque more  
solito paranda est. Modus autem pu-  
rifi-

rificandi in hos usus sal tartari, is est,  
qui sequitur.

## C A P. XI.

*Ut sal tartari purificetur.*

**R**Ecipe tartarum, vel grumos vini rubri, crassiores, non pulverulentos, eosque in ollis terreis inter accensos carbones ure, ut in nigram calcem redigantur, omnisque pinguedo absumatur, ac jam albescere incipient, albi tamen nondum sint, id enim ex re non esset. Hoc tartarum ea ratione calcinatum mittatur in vase terrea vitriata, & aqua communi repleta, bulliantque ad ignem lentum, ita ut horis duabus quarta pars aquæ absumatur. Tunc auferatur ab igne, & aqua refrigescens, ubi inclaruit, decantetur & acre lixivium dabit. Impleantur vase, quibus reliquæ tartari continentur aqua communi, bulliantque ut antea, idque repetatur, ut falsi nihil in aqua remaneat,

B 6

quo

quo facto aqua omnis filtretur, & li-  
xivium clarum filtratumque in am-  
pullis vitreis super cinere ad lendum  
ignem evaporet, ac in fundo sal can-  
didum remanebit, quod aqua com-  
muni solutum, ubi per biduum quie-  
vit, denuo filtretur, & ad lendum  
ignem in ampullis ut antea evaporet,  
remanebitque in fundo sal longe  
quam antea candidius. Repetatur  
hic processus ter quaterque, & sal  
habebis nive candidius, & à magna  
parte terrestreitatis suæ liberum ,  
quod pulveri vel rochettæ cibratæ,  
cum debita quantitate tarsi vel arenæ  
admixtum, frittam, & postea crystal-  
linum & commune vitrum multo  
quam alias melius dabit.

---

### C A P. XII.

Zafferam præparare, ut coloribus in  
arte vitraria inserviat.

**R**ecipientur frusta majora Zaffe-  
ræ, mittanturque in vasa terrea,  
⁊

& per dimidium diem in camera fornacis serventur: inde in tudicula ferrea ad ignem fornacis candescant, extractaque acri aceto conspergantur. Postea ubi jam refrixerint super porphyrite ad lævorem subigantur, & in vasis vitriatis calidâ sèpius laventur, ita tamen ut Zaffera semper residere in fundo permittatur: quo facto aqua leniter decantetur, ita enim spurcities & terrefreitas omnis auferetur, & sola Zaffera in fundo remanebit, quæ siccata & vasis clausis in usus asservata, vitrum egregie & longe quam antea melius tinget.

---

C A P. XIII.

Magnesiam præparare, tingendo vitro.

**R**ecipiatur magnesia Pedemontana: omnium enim, quas nunc quidem vitrarii norunt, optima est, & Venetiis copiose prostat, eaque solâ Muranenses utuntur. Ut ut enim in Thuscia & Liguria large proveniat,

ferrj

ferri tamen plurimum continet, nigrumque & spurcum colorem reddit, cum econtra Pedemontana spatum pulcherrimum faciat, & postremo vitrum ablata viriditate candidum relinquat. Hujus ergo magnesiæ frusta in tudicula ferrea igne fornacis reverberentur, ac jam candardia acri aceto conspergantur; postea marentur subtiliter, laventurque aliquoties calidâ, non secus atque Zafferæ frusta. Inde siccentur, redigantur in pulverem, & serventur vase clauso ad usum.

## C A P. X I V.

*Ut Ferretum Hispanicum fiat  
colorando vitro.*

Ferretum facere nihil aliud est, quam æs ea ratione calcinare, ut reclusum tinturam suam vitro communicare possit: atque hac calcinatione bene facta illud efficitur, ut in vitro colores diversi & valde speciosi appa-

appareant. Variis autem modis illa fit, quorum ego duos describam, faciles, & quibus non sine insigni effetu multoties usus sum: ac prior quidem hic est.

Habeas laminas æris tenues, crassitie Florentinarum, adsitque unum vel plura crucibula, in quorum fundo stratum facies ex pulverisato sulphure, impositisque alternatim laminis & pulvere, eodem ordine procedes, usque dum crucibulum impleatur, id quod stratificare vocant. Crucibulum hoc luto bene obductum & siccatum in fornacem anemiam mittitur, & accensis infra carbonibus per duas horas igne urgetur valido: refrigerato postea crucibulo æs calcinatum invenies, quod digitis instar terræ siccioris confractum colorem reddit nigricantem & subruffum. Hoc æs subtiliter maceratum, cribro angustiore cribratur & servatur usui.

C A P.

## C A P. X V.

*Alius modus faciendi Ferrettum.*

**H**IC secundus modus faciendi ferrettum, magis quidem operosus est, sed effectum in vitro extraordinarium producit. Æs ergo loco sulphuris cum vitriolo stratificetur calcineturque, & per triduum in camera fornacis prope *foramen*, Italischio dictum detineatur. Deinde extrahatur, recenti vitriolo stratificeatur, reverbereturque ut supra; atque hæc calcinatio cum vitriolo sexies iterata ferrettum dabit nobilissimum, quod tingendis vitris effectum præbet plus quam ordinarium.

## C A P. X VI.

*Ut crocus ferri, vel ut vulgo dicitur,  
Martis fiat, tingendo vitro.*

**C**ROCUS Martis nihil aliud est quam subtilis calcinatio ferri, qua mediante tinctura ejusdem, quæ in

in vitro rubicundissima est, ita recluditur, ut communicata vitro, non ipsa modo sese manifestet, sed hoc etiam efficiat, ut omnes alii colores metallici, qui alias in vitro occulti & quasi mortui interciderent, formosi & splendidi appareant. Hoc enim illud remedium est, quo occulta metallica in lucem producuntur. Ego quatuor modos præparandi crocum dabo, quorum primus hic est.

Recipiatur limatura ferri, vel quod melius est chalybis, misceatur cum tribus partibus pulverati sulphuris, & in crucibulo, ut supra de ferretto dictum est, calcinetur, omneque sulphur comburatur, id quod properè fit, & inter carbones ardentes per horas quatuor detineatur. Postea extrahatur, redigaturque in pulvrem, & per cribrum angustum tragiatur. Deinde mittatur in crucibulum opertum & lutatum, stetque in camera fornacis prope foramen *occhio* dictum per dies quindecim vel plu-

plures, & colorem assumet ex subrutto puniceum, & quasi purpura-scentem. servetur vase clauso, ad tingendum vitrum: plures enim egre-gios effectus praefstat.

## C A P. XVII.

*Ut crocus Martis alia ratione fiat.*

**H**Ic secundus modus præparandi crocum Martis, quanquam per-facilis, magnificiendus tamen potius, quam spernendus est. Etenim crocus ea ratione factus, efficit, ut vitrum sanguineum colorem referat, estque talis.

Recipiatur limatura ferri, vel quod melius est chalybis, misceatur bene in vasis fictilibus aceto forti, id est ir-roretur haec tenus, ut massa tota hu-mectetur & madefiat. Postea exten-datur in vase, exponaturque soli, ut siccescat, vel absente sole, relinquatur in aëre. Ubi jam siccata fuerit, tundatur; conglobata enim erit, ir-rore-

roreturque recenti aceto, siccetur & tundatur ut antea, idque oclies repetatur, ac tandem contusa transeat per cibrum angustum, & pulverem dabit subtilissimum, colore lateris contusi, qui vase bene clauso servetur ad coloranda vitra.

## C A P. XVIII.

*Alius modus faciendi crocum Martis.*

**H**ic tertius modus præparandi crocum Martis, beneficio aquæ fortis, istiusmodi est, ut intimus color ferri seipsum, magis quam credibile est, manifestet, id quod in vitro appareat. Ferri ergo vel chalybis limatura in vase terreo vitriato irroretur aqua fortii, & siccetur in sole. Deinde redigatur in pulverem, conspergatur aqua fortii, & siccetur, idque saepius repetatur. Assumto postea colore subruffo, ut de croco Martis sulphure factò dictum est, teratur, cribretur, & tingendo vitro servetur.

C A P.

## C A P. XIX.

*Alia ratio præparandi cro-  
cum Martis.*

**H**IC quartus & ultimus, ac for-  
tasse omnium optimus modus  
est, faciendi crocum Martis, quem  
nunc demonstro, ita tamen ut nullus  
eorum, quos demonstravi, non per-  
se bonus ac perfectus, atque adeo  
propter diversos, qui requiruntur  
colores, necessarius sit. Solvatur er-  
go limatura ferri, vel quod melius  
est chalybis in vase vitro bene clauso  
aquâ forti regiâ, sale armoniaco, ut  
moris est, factâ, uti postea de calce-  
donio dicetur, serveturque per tri-  
duum, ita ut quotidie bene agitetur:  
advertisendo, ut sensim limaturam ad-  
das, valdè enim intumescit, & nisi  
cautè tractetur, vitro periculum ru-  
pturæ minatur, vel omnia foras evo-  
mit. Exacto triduo aqua ad ignem  
lentum evaporet, atque in fundo cro-  
cum Martis nobilissimum invenies,  
quo

quo vitra stupendum in modum tinguntur, quem in usus tuos servabis.

## C A P. XX.

*Quomodo bracteolæ cupri tremulæ vel crepitantes, Italis tremolante vel orpello dictæ, calcinentur, quibus vitrum colore cœruleo vel picæ marinæ tingitur.*

**B**RACTEOLÆ æris crepitantes, à tremendo, quod notissimum est; Italis tremolante dictæ, æris quædam à cadmia aureo colore tincti species sunt: atque hæc cadmia non æs modo tingit, sed cum eodem conjuncta pondus quoque ejusdem non parum auget, & ab hoc augmento, æs ubi bene calcinatum fuerit, etiam hoc habet, ut vitrum, quod visu jucundum est, medio inter aquæ marinæ, & cœli, cum sudum est, colorem modo tingat; quare necesse est ut cum cura calcinetur, id quod apposite hac ratione fit.

Reci-

Recipiatur æs crepitans vel tremulum, tale scilicet (ut impensæ minuantur) quod usui antea & corollis inserviit, idque forfice concidatur, & in crucibulum opertum lutatumque inditum, in medios carbones fornacis ardentes mittatur. Ego illud in præfurnio, ubi ignis suscitatur, per dies quatuor igne valido detinebam, ita tamen ut non liqueceret: frustranea enim omnis opera fuisset. Exacto hoc quatriduo optime calcinatum erat, id quod minutissime contusum per angustius cribrum trajiciebam, & in porphyrite optime terebam, prodibatque pulvis nigricans, quem in tegulis extensum per dies quatuor in area cameræ fornacis, prope rotundum ejusdem foramen detinebam, & demtis qui inciderant cineribus, in pulverem redactum, cribratumque in usus meos servabam. Bonæ calcinationis signum est, si vitrum addito hoc pulvere valde intumescat: nisi enim hoc fiat æs male calcinatum, vel nimio

nimio calore adustum est, quo utroque casu vitrum neque tingitur, neque intumescit. Hoc ergo notetur, cum ad praxin pertineat.

## C A P. XXI.

*Ut idem æs aliter calcinetur, & color ruber pellucidus nec non flavus & onychinus fiat.*

**R**Ecipe æs tremulum, forfice ut antea dictum est minutim concussum; stratificetur in crucibulo sulphure pulverato & in candentes carbones mittatur. Ego illud ad calcinandum in præfurnio per horas viginti quatuor detinebam, contusumque & cribratum in terreo vase operato ad reverberandum in camera fornacis per decem horas stare permettebam, & deinde pulveratum tritumque ad usus meos servabam.

## C A P.

## C A P. XXII.

Color aquæ marinæ, in arte vitraria primarius.

**A**qua marina, vel color eo nomine dictus, è præcipuis, quibus vitra inficiuntur, coloribus est, & si pulchrum illum & exquisitum facere desideras, è bollito vel artificiali crystallo fiat necesse est. Etenim vitro communi factus, pulcher non est. Jam qui crystallino fit, magis quidem elegans, sed omnium optimus est qui bollito vel artificiali crystallo paratur: notando, ut aquæ marinæ colorem facturus, nulla ratione magnesiam addas; utut enim igne consumatur, vitro tamen istiusmodi qualitatem dat, ut aqua marina semper nigricare videatur, ac minus perfecta magisque deformis appareat. Ut ergo aquam marinam elegantem & venustam facias, frittam crystalli recipe, eamque nulla addita magna in ollam mitte, & ubi jam vitrum bene

bene coctum purgatumque fuerit,  
sal quod vitro instar olei innatat co-  
chleari vitrarium ferreo, ut no-  
tum est, diligentissime auferatur; ni-  
si enim id fiat color deformis & un-  
guinosus reddetur. Ubi jam vitrum  
optime purgatum fuerit, ad viginti  
libras crystalli, aut circiter, addantur  
æris tremuli, eo, qui *capite vigesimo*  
occasione coloris cærulei & picæ ma-  
rinæ descriptus est modo calcinati  
præparatique unciae sex, nec non zaf-  
feræ præparatæ pars quarta, sed ita,  
ut hi duo pulveres antea bene mi-  
sceantur, & sensim ac per vices in ol-  
lam mittantur. Etenim æs tremu-  
lum, bene & sufficienter calcinatum,  
usque adeo intumescit, ut vitrum o-  
mne è catino propellat: quare atten-  
tione opus est, & assiduo vitri motu.  
His peractis vitrum per tres horas  
quiescat, ut colorem imbibat, & post-  
ea denuo misceatur, captoque expe-  
rimento videatur, an satis plenus co-  
lor sit, nec ne, ut intendere illum vel

C di-

diluere, si opus sit, possis. Etenim vasa & pocula operis tenuioris colorē magis plenum, vasa majora dilutum magis requirunt, & pro ratione operis vel intendendus vel diluendus est color, id quod judicio vitrarii relinquitur. Usu tamen receptum est, ut experimento facto semper id quod minus est sequamur, cum intendere colores, illos præser-  
tim, quos vitro bene depurato da-  
mus, nunquam non in proclivi sit.  
Exactis ab addito pulvere horis vi-  
ginti quatuor, elaborandum erit vi-  
trum: animadvertisendo semper, uti  
antea quam operi manus adhibetur,  
vitrum inde à fundo ollæ, & per to-  
tum bene misceatur, & color miscen-  
do diffundatur. Etenim quiescente  
vitro color fundum petit, & pars vi-  
tri superior colore destituitur: mi-  
sceatur ergo subinde, prout necessitas  
requirit. Idem ordo, eademque do-  
sis & regula in ollis crystalli majori-  
bus servatur. Atque hunc modum

fa-

faciendi aquam marinam Florentiæ anno 1602. expertus sum, & plurima egregii coloris vasa in usus domesticos feci. Notetur *Murani* ad istiusmodi opera æquale pondus fritte crystallo & rochettæ adhiberi, nec tamen eo minus elegantem aquæ marinæ colorem prodire. Elegantissimus tamen ex sola crystallo fit.

## C A P. XXIII.

*Ceruleus vel aquæ marinæ color.*

**H**Abeas in fornace ollam vitri purgati ex fitta rochettæ vel fodæ Hispаниæ: rochetta tamen orientalis huic negotio aptissima est. Ubi vitrum optime purgatum fuerit, in ollam librarum viginti, dentur æris tremuli, ex præscripto *capitis vi-*  
*gesimi* bene calcinati, servatâ eadem, ut in aqua marina dictum, methodo, unciaæ sex: advertendo, ut sal vitro innatans, id quod vitrarii optime norunt, diligentissime auferatur, & co-

C 2              lo:

lor prodibit cœruleus & picæ marinæ admirandus, qui, ut artifices norunt, pro ratione operis vel augetur vel minuitur. Elapsis duabus horis vitrum denuo bene misceatur, factoque experimento videatur an color satis plenus sit, ut augeri adjecto novo pulvere, vel dilui possit: ac ubi jam voto responderit, per horas viginti quatuor relinquatur, actum demum misceatur & elaboretur, color enim erit cœruleus & aquæ marinæ pulcherrimus, & ab omnibus aliis coloribus qui in arte vitraria fiunt, diversus; atque hoc colore Pisiss anno 1602. ollas longe plurimas infeci, pulcherimas & omnium perfectissimas.

## C A P. XXIV.

Pulvis ruber, *multis in vitro coloribus inserviens.*

**R**Ecipe laminas æris tenues easque in arcu fornacis muro seclusas tantisper detineto, donec simplici igne

igne solæ & per se calcinatæ fuerint,  
ita tamen ut non liquefiant: nihil e-  
nim inde boni fieret. Ubi jam calci-  
natæ fuerint, tundantur, & in pul-  
verem redigantur, prodibitque pul-  
vis ruber, qui ad varios in arte vitra-  
ria necessarios usus servetur.

## C A P. XXV.

*Æs ter calcinatum tingendo vitro.*

PULVIS ruber supradictus mittatur  
in fornaculam vel arcum fornacis,  
circa foramen occhio dictum in te-  
gulis vel lateribus coctis, calcinetur  
que per quatriduum continuum, &  
pulverem dabit nigrum congloba-  
tumque. Teratur denuo, cribretur  
que cribro angustiore, & calcinetur  
in arcu fornacis, ut antea, per dies  
quatuor, vel quinque; & neque coa-  
cervabitur amplius, neque pulvis us-  
que adeo niger erit, sed in leuco-  
phæum colorem inclinabit & per se

C 3                    dif-

dissolvetur. Hoc pulvere, qui Italīs  
*ramina di tre cotte* vocatur, aqua marina, viride smaragdinum, color Arabicus, vel ut vulgo Turcinus, nec non cæruleus admodum speciosus multi-que alii colores fiunt. Advertatur tamen, ne tertia vice vel plus vel minus quam par est calcinetur, neutro enim casu vitrum bene tingeret. Signum autem perfectæ calcinationis est, si vitrum in ollis purgatum addito hoc pulvere derepente intumescat & infletur: nisi enim hoc fiat, malæ notæ, & minus bene calcinatus est pulvis. Huc ergo res ducatur, ut perfecte calcinetur.

## C A P. XXVI.

*Aqua marina in crystallo artificiali, Italīs Bollito dicta.*

**I**N ollam frittæ crystalli librarum quadraginta, quæ magnesiam admistam non habeat, sed accuratissime, ut ego citra trajectionem in a- quam

quam soleo, despumata, nec non o-  
ptime excocta purgataque sit, dentur  
unciae duodecim æris, ut supra capite  
vigesimo quinto dictum est, ter calci-  
nati, nec non zafferæ, eo qui capite  
duodecimo demonstratus est modo  
præparatæ uncia dimidia, unitique  
bene hi duo pulveres, & in quatuor  
partes divisi, quatuor distinctis vici-  
bus in ollam mittantur, ut eo melius  
à vitro recipiantur. Misceatur vi-  
trorum diligentissimè, & ubi per duas  
horas requieverit, ac denuo mixtum  
fuerit, experimento facto videatur,  
an color satis plenus sit, & si voto re-  
spondeat, stare permittatur. Utut  
enim aqua marina virescere videatur,  
sal tamen, quod vitro inest, absumet  
illam viriditatem, & semper in colo-  
rem inclinabit cœruleum. Exactis  
viginti quatuor horis operi fese accin-  
gere licebit, omniaque parata, & co-  
lor vel plenus vel dilutus erit, prout  
plus minusve pulveris addideris. Co-  
lores enim ut addito novo pulvere

C 4                in-

intenduntur, ita demta vitri tintæ, additaque alia ejusdem naturæ & qualitatis vitri non tintæ parte diluuntur, atque ea ratione ad optatum terminum deducuntur. Nullis enim certis regulis hoc comprehendendi potest, sed à vitrarii & artificis prudentia dependet. Hunc aquæ marinæ colorem parandi modum sæpius expertus sum, nunquam fallente experientia: quod si frittæ crystalli partem dimidiam frittæ rochettæ admiscueris, aquam marinam habebis pulchram: omnium tamen longe pulcherrima ex sola crystallo fit.

## C A P. XXVII.

*Observationes generales in omni colorum genere.*

UT colores pulcherrimi & summe perfecti evadant, advertatur, quod olla quævis recens, dum prima vice incandescit, ob terrestrem suam qualitatem vitro rude quidam

piam imprimit, quo mediante colores omnes, qui tunc sunt, sylvestres & illepidi apparent. quare ollæ non admodum magnæ vitro albo fuso, quod artificibus notum est, induci possunt. Secunda tamen vice perisse videbitur sylvestre illud & illepidum. Notetur secundo, in olla huic vel illi colori inservientes, non esse mittendum vitrum alterius generis colori destinatum. Exempli gratia: Olla flavo colori inserviens, parando coccineo apta non est; nec quæ coccineo inservit viridi: uti nec rûbro inserviens aquæ marinæ colorem fert, & sic porro: sed unusquisque color, ut perfectus evadat, propriam suam ollam desiderat. Notetur tertio ut pulveres debita ratione, & neque plus neque minus quam par est calcinati sint. Quarto ut omnia in debita proportione & dosi adhibeantur, & mistura ex præscripto fiat, fornaxque bene calida sit, & lignis incandescat siccis, & durioribus. Ligna enim vi-

C 5 ridia,

ridia, minusque dura exiguo suo calore, & fumo omnia corruptunt. Quinto notandum est, ut color per partes adhibeatur, id est, ut pars una frittæ, altera vitro fuso & bene purgato detur. Alia etiam observanda sunt quæ suo loco, ubi speciatim de coloribus egerimus, dicentur.

## C A P. XXVIII.

*Æs alio faciliore modo, & sumtu minore ter calcinare.*

**R**Ecipe scoriam, quæ dum fabri ærarii urnas, situlas, aliaque ex ære candefacto armamenta fabricantur, decidit; minoris enim quam æs solidum emitur, neque ut calcinetur structo vel destructo in arcu vel testudine fornacis muro, ut antea, opus habet, id quod per se molestum est, & magnas in fornace turbas dat. Hanc inquam scoriam ab omnibus heterogeneis purgatam, calidaque bene lotam & in lateres vel tegulas

CO-

coctas impositam, in arcu fornacis circa foramen, vel in fornacula huic operi specialiter dicata sepone. Ego Pisis, exstructa istiusmodi fornaculâ in modum parvæ calcariæ, nonnunquam viginti vel viginti quatuor libras hujus scoriæ exiguo aliquot horarum spatio calcinavi. Ergo in arcu prope foramen fornacis per dies quatuor stet, extractaque tundatur, transseatque per cribrum angustum, ac denuo in tegulis vel lateribus coctis in eodem loco & caloris gradu ut supra per dies quatuor detineatur, & prodibit pulvis niger, qui conglobatus, tundatur, cribretur cribro angusto, & in tegulis coctis in eodem ut antea calore & loco seponatur, & minore quam supra fastidio & sumtu optime præparata erit, eundemque semper in tingendo vitro effectum præstabit: advertendo, ut, quemadmodum supra dictum est, antea quam calcinetur ab omni terrestri materia sedulo purgetur laveturque. Scoriæ

C 6      bene

bene præparatæ signum est, si vitro addita intumescere illud atque turgere faciat.

## C A P. XXIX.

*Elegans ex hac scoria aquæ marinæ  
color in crystallo.*

**R**Ecipe ollam librarum sexaginta fritæ crystalli, à sale ut supra dictum est, optimè purgatæ & in aquam non trajectæ, (mihi enim in more possum non fuit, ut aquam marinam facturus crystallum in aquam trajicerem, videbaturque mihi ea ratione melius procedere negotium: liberum tamen cuivis erit, ut illud sequatur, quod experimento facto optimum videbitur) In hanc ollam librarum sexaginta crystalli bene purgatæ, sensim & per vices mitte libram unam cum dimidia scoriæ, ut antea dictum est, minore sumtu factæ, nec non zafferæ præparatæ, & cum pulvere scorię bene mistę uncias qua-

quatuor, eaque omnia cum vitro per duas horas sedulo misceantur, omnibusque bene mistis experimentum fiat, & si color placuerit, stare permittatur: neque enim opus est ut color viginti quatuor horarum spatio augeatur. Deinde movendo ut antea, misceatur vitrum, ut colorem bene imbibat, elaboreturque ut cuique placuerit, & aquam marinam pulcherrimam dabit, quemadmodum ego felici successu multoties expertus sum. Color autem minus vel magis augendus est pro ratione operis cui inservire debet. Præcipue autem id agendum est, ut scoria bene calcinata sit. Si frittæ rochettæ alterum tantum frittæ crystalli admisceas, aqua marina omnibus modis pulchra erit.

C A P.

## C A P. X X X.

Aquæ marinæ color *impedio minore factus.*

**E**adem, ut antea dictum est, præparatæ scoriæ, nec non predicta dosis zafferæ, eadem ratione & forma detur rochettæ orientali & Hispanicæ, ita tamen ut neutra earum magnesiam contineat, nec in aquam projecta, sed à sale optimè purgata sit, servatis, quantum ad reliqua, istiusmodi regulis, quas supra in crystallo memoravimus, & aqua marina satis pulchra & cuicunque operi apta evadet, multoque minore quam crystallus impensa parabitur: Etenim minore multo rochetta quam crystallus pretio emitur. Hac ratione illam sæpius Pisces & semper felici cum successu feci.

C A P.

## C A P. XXXI.

Aqua marina propriæ inventionis supra.  
omnes alias admiranda.

**C**Apum mortuum vitrioli Veneris,  
sine corrosivis Chymicè factum,  
si per aliquot dies in aëre steterit,  
sponte sua, citra omne artificium,  
colorem recipit viridem subalbum.  
Ex hac materia, si in pulverem redi-  
gatur, & cum eadem zafferæ præpa-  
ratæ, ut in aliis scoriæ preparationi-  
bus dictum est dosi, eodemque pro-  
cedendi modo crystallo detur, aqua  
marina fiet admirabilis & stupendæ  
pulchritudinis, qualem ego Antver-  
pię sæpius feci, mirantibus cunctis  
qui illam viderunt. Modus spagyri-  
cè sine corrosivis faciendi vitriolum  
Veneris hic est, ut bracteas æris te-  
nues, magnitudine dimidiati Flo-  
rentini recipias, & in promptu sit u-  
num vel plura crucibula, in quibus  
alternatim stratum ex sulphure com-  
muni pulverato & æris bracteis facies,  
usque.

usque dum crucibula impleantur, & omnes æris bræteq; absuntæ sint, id quod stratificare vocant. Hoc peracto tegantur crucibula, eo qui capite 131 sequitur modo, ut experimentum fieri possit. Hunc modum nullus quod sciam expertus est, sed ego *Antonius Neri* sacerdos experimento facto admirandum illum, ut supra dictum est, inveni, ideoque propriæ inventionis illum esse dico.

## C A P. XXXII.

Viride *in vitro* smaragdinum.

**D**Um viridis color fit, considerandum est, ne vitrum multum salis contineat. Etenim si istiusmodi vitrum adhibeas, quod salis plurimum habet, quale illud est, quod ex rochetta & crystallo fit, viride pulchrum non fiet, sed aqua marina potius. Sale enim viride illud absumentur, & vitrum semper in cyaneum vel aquæ marinæ colorem propendet.

Qua-

Quare si pulchrum viride facere animus est, metallum commune, id est ex pulvere, ut *capite octavo* demonstratur, factum in ollam mitte: atque hoc vitrum magnesiae nihil contineat: opus enim nigrum & deforme redderet. Ubi vitrum optime fusum & purgatum fuerit, addantur exempli gratia ad libras centum vitri, unciae circiter tres croci Martis, aceto, ut *capite decimo septimo* demonstratum est, calcinati. Misceatur bene vitrum, & per horæ spatium quiescat, ut tinturam croci imbibat: ita enim non-nihil flavescat, absumenturque rude illud cœruleum, quod eidem semper inest, facietque ut suscipere colorem viridem possit. Tunc ergo adsit scoria æris, eo qui *capite decimo septimo* demonstratus est modo, ter cocta, denturque in centum vitri libras, librae duæ ejusdem scoriæ, idque sex vicibus, bene miscendo pulverem cum vitro. Postea quiescat per duas horas, uniaturque cum vitro. Inde

mi-

misceatur denuo, videaturque an proportione operis cui inservire debet satis plenus sit color: in ipso enim opere plus scoriæ addere licet, & colores vel intendendi, vel diluendi sunt, pro ratione illius operis, quod faciendum suscepimus: nulla enim hic certa regula præscribi potest. Quod si color viridis in marinum vel cœruleum tenderet, nonnihil croci Martis, ea, uti dictum est ratione addi posset, & viride smaragdi pulcherrimum habebis, quod alio nomine viride porri vocatur, & exactis viginti quatuor horis deduci in opus poterit, advertendo semper ut vitrum antea misceatur, quam operi manus admovetur. Colores enim semper fundum petunt, & circa verticem ollę dilutiores sunt. Hoc viride saepius Pisis & nunquam non eleganter feci, idemque eveniet omnibus, qui ea quæ supra dicta sunt curiosè servaverint.

C A P.

## C A P. XXXIII.

*Viride eo quod supra dictum est eleganterius.*

**A**T vero si viride eo, de quo supra dictum est, elegantius, magisque coruscans desideras, in olla crystallinum habeas quod magnesia careat, & semel vel bis in aquam projectum sit, ita ut omnis salredo absumentur. Huic crystallino detur pars dimidia vitri communis albi, istiusmodi scilicet, quod magnesiam non habeat. Ubi hoc vitrum mistum, fumum, & bene fuerit purgatum, recipe in centum vitri libras, libras duas cum dimidia pulveris laminarum æris, in arcu fornacis ut *capite vigesimo quinto* demonstratum est, ter calcinatarum, nec non uncias duas croci Martis, sulphure ut *capite decimo sexto* dictum est calcinati & reverberati, omniaque bene mixta, servatis iisdem ut supra in diëto viridi regulis, vitro da. Et intendere quidem colorem plus min-

nusve, prout videbitur, poteris, ac  
si cœrulei quid habuerit, exigua su-  
pradicte croci portio addenda, vi-  
trumque ipsum haud secus at que a-  
liud viride elaborandum erit, & viri-  
de habebis pimpinellæ stupendum,  
idque sœpius Pisis felici cum successu  
feci. Notetur autem semper, ut sco-  
ria bene præparata sit, si colores de-  
sideras elegantes & pulchros.

---

C A P. XXXIV.

Color viridis *admirandus*.

**R**Ecipe scoriam æris caldarii, ter-  
ut supra demonstratum est cal-  
cinatam, & loco croci Martis, tot  
modis, ut supra, præparati, scoriam  
ferri ab incude decidentem & à pul-  
vere, carbonibus & cinere purgatam,  
eamque tunde, & quam id fieri po-  
test subtilissime cribra. Misceatur in  
supra dicta dosi cum scoria æris, de-  
turque vitro communi, facto ex pul-  
vere, qui magnesiam non habeat, ser-  
vatis:

vatis iisdem ut in viridi regulis. Et  
hic crocus vel scoria Martis colorem  
tibi dabit viridem smaragdinum mi-  
rabilem, qui absumto omni colore  
cœruleo & marino, qui ordinarie vi-  
tro adhæret. instar smaragdi flavesceret,  
ac fulgorem nitoremque præ reliquis  
viridibus obtinebit. Ut hæc scoria  
terri detur scoriæ æris, id ego *Anto-*  
*nius Neri* inveni. Quod ad reliqua,  
eædem quæ in reliquis viridibus do-  
ses & regulæ serventur, & rem habe-  
bis stupendam, id quod experientia  
me sæpius docuit.

## C A P. XXXV.

Color alius viridis, qui palmam reli-  
quis à me factis viridibus  
præripit.

**I**N ollam vitri librarum decem, cu-  
jus pars una crystallino sæpius in  
aquam projecto, altera vitro com-  
muni albo pulvereo constet, recipe  
fritte communis pulvereæ libras qua-  
tuor.

tuor. Huic admisce libras tres minii,  
omniaque bene unita in ollam mitte,  
& paucis horis purgabuntur. Ubi  
jam purgata fuerint, trajificantur in  
aquam, bene advertendo, coieritne  
in fundo aliqua plumbi pars; diligen-  
ter enim eximenda & abjicienda est,  
ne, quod evenire solet olla frangatur.  
Deinde vitrum in aquam projectum  
denuo mittatur in ollam, & per diem  
unum purgetur. Postea addatur co-  
loritum ex pulvere capitis mortui  
spiritus vitrioli æris chymice facti,  
cum exigua admodum quantitate  
croci Martis, & viride prodibit ad-  
mirandum, & eorum quæ unquam  
feci pulcherrimum, quod smarag-  
dum orientalem optimum referet,  
formando cujuscunque generis operi.

## C A P. XXXVI.

Color cyaneus *vel* turcinus, *in arte*  
*vitraria præcipuus.*

**R**Ecipe sal marinum, vulgo ni-  
grum *vel* rude dictum: candi-  
dum

dum enim, quod Volaterris fit, huic operi aptum non est: Mittatur in calcariam, vel furnulum, ut calcinetur, omnisque humiditas absumatur, & album evadat; quo facto teratur, & pulverem dabit candidum. Hoc sal ea ratione calcinatum servetur, ut inde color cyaneus vel turcinus fiat. Porro in olla frittam habeas crystalli, aquæ marinæ colore tinctam, de cuius non una præparandi ratione dictum est; & color ille quidem venustus & satis plenus sit: omnis enim parandi coloris cyanei ratio ab aquæ marinæ qualitate dependet. Huic vitro ita tincto detur sal marinum supradictum, sensim, & bene miscendo, ut in scoria sit, & aqua marina ex pellucida & transparente opaca fiet: sal enim dum in vitrum abit, pelluciditatem illam aufert, & pallorem quendam inducit, quo sensim color cyaneus vel turcinus, in arte vitraria præcipuus, fit. Cæterum ubi color jam voto responderit, statim elaborandum est

est vitrum; sal enim absimitur & in  
vapores abit, vitrumque transparens  
& deformis sit. Quod si dum elabo-  
ratur color evanescat, addatur ut su-  
pra nonnihil salis calcinati, & color  
redibit. Notet vitrarius, hoc sal nisi  
bene calcinatum sit, semper crepare;  
in adhibendo ergo caute agat, oculos-  
que & visum à periculo præserves.  
Dosis salis hæc est, ut sensim & per  
intervalla addatur, usque dum color  
voto respondeat: nulla enim certa  
mensura aut pondere hic usus sum,  
sed respondentे colore subsistebam,  
& totum hoc negotium in experien-  
tia situm est. Sæpius hunc colorem  
feci, ut qui in re familiari necessarius,  
& in arte vitraria maximi momenti  
& præcipuus est: sufficit tamen in hos  
usus recepisse aquam marinam ex æ-  
qualibus crystalli & rochettæ parti-  
bus factam, & color evadet optimus.

AN-

ANTONI NERI  
DE ARTE VITRARIA,  
LIBER II.

*Quo demonstratur verus modus faciendi  
Calcedoninm, colore Achatis vel Ja-  
spidis orientalis : nec non modus præ-  
parandi in hunc usum omne genus  
colorum ; cum modo faciendi aquas  
fortes & regias , in hac materia ne-  
cessarias : modus præterea calcinandi  
tartarum, idemque uniendi cum rubri  
illius coloris genere , quod Itali Rosi-  
chiero vocant, & varios undantes-  
que diversorum colorum in vitro lu-  
sus repreſentat, eique opacitatem  
illam tribuit, quæ gemmis orientali-  
bus naturalis est.*

## C A P. XXXVII.

**Q**Uandoquidem in eo sum , ut  
demonstrem modum faciendi  
Calcedonium, Jaspidem, & Achatem  
orientalem, necessum erit ut primo  
doceam præparationem aliquot mi-  
D nera-

neralium huic compositioni infer-  
vientium. Utut enim nonnulla ex  
his passim veneant; quia tamen id  
ago, ut opus prodeat summe perfe-  
ctum, ex re mihi visum est, demon-  
strare modum exquisitum & chymi-  
cum, quo mediante hujus artis periti  
& curiosi, sine cujusquam adminicu-  
lo quidvis magis perfecte & impensa  
minore facere possint. Etenim ubi  
materia debitè præparata, & color  
metallicus benè reclusus, atque ab  
omni immunditia & particulis terre-  
stribus, separatus fuerit, quæ unio-  
nem tincturarum cum vitro ordina-  
rie impedire solent, dubium nullum  
est, quin vitrum tingatur coloribus  
vivis, splendidis & venustris, qui vul-  
gares vitrariorum colores longissimè  
superant. Et quia color Calcedonii,  
vel potius compositi illius ex quo fit,  
nihil aliud est, quam coacervatio que-  
dam omnis fere generis colorum,  
quos vitrum recipit, & vulgo omni-  
bus æquè noti non sunt; colores etiam

ipſi

ipſi niſi benē præparati ſint, illam  
venuſtatem & ſplendorem illum, qui  
requiritur, non exhibent, neceſſum  
erit, ut metalla aqua forti benē calci-  
nentur, attenuentur, & resolvantur;  
æſ, ſulphur, vitriolum, fal armonia-  
cum, & illius generis alia materia diu-  
turnitate temporis & lento igne ape-  
riatur, præpareturque: Ignis enim  
violentia h̄ic maximē nocet. Ruber  
ille color, de quo cap. 124. & tarta-  
rum, utut ſumme perfectionis & bene  
calcinata ſint, in debita tamen doſi at-  
que proportione, nec non ſuo tem-  
pore adhibenda, obſervandumque  
eſt, ut vitrum bene coctum, purga-  
tum, & operi maturum fit; & talis in  
opere industria adhibenda eſt, qua-  
lem periti artifices adhibere ſolent:  
hac enim ratione Jaspideum, Acha-  
tem, & Calcedonium orientalem  
perfekte imitabimur, idque tanta co-  
lorum varietate, & undantium ma-  
cularum venuſtate, tantaque & tam  
intenſa vivacitate, ut quaiſi imposſi-

D 2              bile

bile videatur naturam ad illud fastigium operis ascendere posse. Quanquam enim vulgo dicatur, verumque esse videatur, quod ars naturam æquare non possit, experientiâ tamen constat, in rebus plurimis, & specia-  
liter in hoc tingendi negotio artem non æquare tantum, sed longissime etiam superare naturam, id quod nisi oculatus testis nemo crederet. Ele-  
gantia ludorum & varietas, nec non undantes & cum venustate variegati colores, qui in calcedonio, si materia benè præparata & vitrum probe e-  
laboratum fuerit, apparent, atque effectus qui inde resultat, omnem imaginationem & conceptum hu-  
manum transcendit. Tribus illis,  
quos doceo, modis, ni fallor apparebit, quo pertingere ars vitraria in hoc negotio possit. Etenim omnia parti-  
culatim, & usque adeo distinctè de-  
monstro, ut nullus dubitem, quin periti & subacti in similibus negotiis  
hoc intellecturi sint, ideoque nisi  
sciens

sciens volensque errare nemo possit:  
quod si quis ex præscripto meo labo-  
raverit, plus inveniet, quam ego di-  
co & revelo.

## C A P. XXXVIII.

*Modus faciendi aquam fortē, vul-  
go separationis dictam, quæ argen-  
tum & Mercurium solvit, cum mo-  
do secreto.*

**R**Ecipe nitri purgati partem u-  
nam, aluminis roccę, quod in  
patella humorem omnem exhalave-  
rit, partes tres, deturque in singulas  
hujus materię libras uncia una arseni-  
ci crystallini, qui modus secretus, nec  
vulgo notus est, & præterquam quod  
aqua vires addit, etiam hoc efficit,  
ut spiritus, in quibus verus aquę ner-  
vus & potentia consistit, & quibus  
demitis, aqua fortis fontanę similis  
esset, tanto melius extrahantur. Re-  
digantur omnia in pulverem, mi-  
sceanturque, & adjectâ decima totius

D 3. com-

compositi parte arenati optime pulverati, remisceantur. Hujus materiæ tantundem in ampullam vitream mittatur, ut tres circiter vasis illius partes impleat: sicutque vas a hæc more solito lutata, idque fortii luto, cuius rei, ut vulgaris, & artificis ingenio committendæ, modum tamen non vulgarem docebo. Recipe partem unam limi fluminum pinguioris, qualis est *Arni*, arenæ partes tres, cinerum ex lignis ordinariis bene cribra torum partem dimidiā, & tomenti dimidiā alteram. Misceantur, unianturque hæc omnia, & aqua communi excepta in pastam redigantur, subiganturque optime: quo enim subacta magis, eo melior pasta erit. Adverte tamen, ut duriuscula sit hæc massa, addaturque salis communis pars tertia, incorporeturque optime: in hoc enim cardo negotii vertitur. Omnibus bene incorporatis lutentur vitra, & lutum erit perfectum. Postea ampullemittantur in fornaces vento

to expositas, & huic operi aptas, quæ terra cocta constent, & sustinendo igni pares sint. In fundo ampullarum arena sit quatuor digitorum altitudine, nec non ferrum crassiusculum transversum, oneri ferendo par & vasa ad collum usque arenâ circumdentur. Imponatur suus cuique ampullæ alembicus, isque satis magnus & capax, & juncturæ optime ludentur luto ex farina tenui, & calce, pulveratis mistisque & albumine ovi optime agitato exceptis, & fascia ex lino tenui obducantur, siccataeque ter vel quater luto muniantur, superinducta toties fascia, ac tantum temporis intercedat, ut siccari commode possint, ita enim ignis violentiam & impetum spirituum melius sustinebunt. Apponatur porro cuique vitro recipiens ex vitro capacissimum, ut impetum & furias spirituum ferre possit, & qua parte rostro alembici jungitur, eadem ut supra dictum est ratione luto & segmento telæ, quam

D 4 id

id fieri optime potest, obducatur, nec  
ante ignis adhibeatur, quam siccatae  
fuerint juncturæ: magni enim hæc  
res momenti est. Postea ignis adhi-  
beatur, sed carbonum & temperatus,  
idque per tres horas, quo temporis  
spatio flatulentus ille humor, qui vi-  
tris rupturam minatur, transit. Con-  
tinuetur hac ratione per horas sex  
igne temperato, & postea sensim au-  
geatur ignis, adjiciendo ad carbones  
frusta ligni aridioris quercini, idque  
per proximas sex horas, usque dum  
alembicus flavescere, & transire spi-  
ritus incipient: atque in hoc gradu  
servetur ignis, donec alembicus simul  
& recipiens ruffo & tandem intenso  
rubini colore tingantur, quo tempore  
augendus est ignis, continuandum  
que donec alembicus rubere incipiat,  
qui color quandoque per integrum  
biduum durat. Instandum ergo o-  
peri, usque dum omnes spiritus tran-  
sierint, & alembicus atque recipiens  
inclarescere pedetentim, atque ad na-  
tura-

turalem suam albedinem redire & refrigerari coeperint. Nihilo tamen minus per horæ spatium adhibeatur ignis, & tum demum fornax per se refrigerescat: advertendo, ne dum ignis æstuat, & alembicus pariter & recipiens rubent, ventus vel aura frigidior subintret, aut frigidi quidquam vitra attingat: Etenim quia tum maxime calent, facilime disrumpuntur, idque cum jactura laboris, impensarum & temporis Ubi jam omnia frigent, alembicus simul & recipiens panniculis madidis, & frigidâ bene repletis tegantur, ut spiritus aquæ fortis tanto sidant citius, & omnia per duodecim horas in eo statu relinquantur. Juncturæ postea & lutum aqua tepida madefiant, ut iisdem humescentibus demi ligaturę & alembicus atque recipiens dissolvi possint: plerumque enim hęc integramanent. Et ampullæ quidem frangantur: usui enim amplius esse non possunt. Feces autem & sedimenta aquæ fortis, id

D 5 est

est pars ejusdem tertia optime pulv-  
rata, adjectis in singulas libras unciis  
quatuor nitri purgati in ampullam  
novam mittatur, additaque eadem,  
quæ antea prodierat, aqua forti, cum  
suo alembico & recipiente bene jun-  
ctis, lutatis & siccatis ut supra in for-  
nace deponatur, & primis quatuor  
horis ignis latus adhibetur, isque  
postea sensim augeatur, usque dum  
alembicus & recipiens albescant &  
spiritus omnes transierint, quo tem-  
pore ignis ultra stimulandus non est,  
sed cuncta refrigerari permittantur,  
& alembicus simul & recipiens pan-  
niculis madidis obvolvatur, idque  
per horas duodecim, & juncturæ eo  
quo dictum est modo solventur. A-  
qua fortis valis vitreis excipiatur, &  
vase clauso ne optimi spiritus exha-  
tent adservetur. Hæc est illa aqua  
fortis vulgo separationis dicta, quæ  
infrascriptis usibus inservit. Non-  
nulli loco aluminis roccæ vitriolum  
optimum, Romanum scilicet vel aliud  
fimi-

simile adsumunt. Utrum autem ad hos usus aptum sit vitriolum, nec ne, ex eo cognoscitur, si fricatum super ferro polito, æris colorem ei tribuat: & hoc vitriolum infrascripto modo purgatum præ alumine aquam fortè dabit longe potentissimam.

## C A P. XXXIX.

*Ut vitriolum purgetur & aqua fortis  
potentissima fiat.*

**H**abeas vitriolum optimum: quanto enim vitriolum melius est, tanto potentior aqua fortis erit. Hoc vitriolum aquâ communî calida solvatur, & per triduum quiescat. Postea filtretur aqua vitriolo gravis. Feces flavescentes removeantur, evaporetque hæc aqua in ampullis vitreis, ita ut tertia tantum ejusdem pars remaneat, quæ catillis vitreatis terreis, loco frigido servetur, & duodecim horarum spatio lapilli vitrioli, instar crystalli montanæ, coloris smarag-

D 6 rag-

ragdini, in superficie aquæ circa labrum catillorum apparebunt, & in fundo terra relinquetur flavescens sulphurea, & huic operi minus apta. solvantur hi lapilli communi calida, & aqua solutionis filtretur evaporetque in vasis, & procedatur ut supra, semper abjiciendo terram illam flavam, quæ in fundo residet, & tercia vice vitriolum bene purgatum aptumque erit, ut aqua fortis optima & solito potentior fiat, maxime si nitrum bene purgatum sit.

## C A P. XL.

*Ut aqua regia fiat, qua aurum & metallæ reliqua dissolvuntur, solo argento excepto.*

**R**ecipiatur aqua fortis supradicta, mittaturque in ampullam minorrem vitream, atque in singulas aquæ libras dentur salis armoniaci pulverati unciae duæ, ipsaque ampulla mittatur in vas calida repletum, & sal amo-

moniacum commota s<sup>e</sup>pius aqua statim solvetur, tingeturque flavo colore. Addatur denuo tantum salis, quantum dissolvere aqua potest, & ubi jam solvere desierit aliquantis per requiescat. Postea quicquid limpидum erit leniter decantetur. Etenim in fundo remanere solet, quidquid terreni sal armoniacum continet: habebisque aquam potentem, quae aurum aliaque metalla, excepto argento dissolvit: id enim non attingit.

---

### C A P. X L I.

*Ut Tartarum, fex vini dictum, uratur.*

**H**abeas tartarum vel feces vini rubri, melior enim est quam albi, idque constet ex frustis majoribus crassiusculis & scintillantibus, remoto ejusdem pulvere, qui nulli h<sup>i</sup>c usui esse potest. Mittatur ita uti est in vasa nova terrea, & sub incensis carbonibus uratur, usque dum non amplius fumet, atque calcinatum & in

in massam redactum sit coloris ex nigro purpurascens, & ustum præparatumque erit.

## C A P. XLII.

*Ut Calcedonius ex vitro satis formosus fiat.*

**R**ecipe aquæ fortis libras duas, in ampulla vitrea, quæ collum gracile & oblongum habeat, in eandemque mitte argenti in tenuia frusta concisi uncias quatuor, & admotâ ad ignem, vel in aquam calidam misâ ampullâ argentum statim dissolvi continget. Soluto omni argento in ampulla ejusdem generis & formæ alia habeas aquæ fortis libram unam cum dimidia, & in ea dissolves argenti vivi uncias sex, illisque solutis, aqua solutionis in ampulla majore misceatur, addanturque salis armoniaci unciae sex, & solvantur more solito ad ignem lentum. Solutioni addatur Zafferæ præparatæ uncia una, magna-

gnesię præparatę uncia dimidia , nec non ferreti Hispanici tantundem, sed sensim : tumere enim & ebullire magnesia non sine periculo , & vel evomere materiam , vel disrumpere vasā , & omnia pessum dare solet. Ad-datur porro croci Martis sulphure calcinati uncię pars quarta , nec non scorię æris caldarii ter calcinatę di-midia pars uncię , quæ non minus quam magnesia ebullire solet : smalti item cœrulei pictorum , nec non mi-nii tantundem. Omnia hæc bene pulverata seorsim & per gradus mit-tantur in ampullam, agitenturque le-niter, ut aqua pulveres bene imbibat, ita tamen ut semper tibi caveas ab ef-fervescentia. Ampulla bene clausa sit, ac per dies decem sèpius agitetur, ut pulveres bene incorporentur , & ab aqua evisceratę eidem pateant: postea mittatur in fornacem & are-nam , adhibeaturque ignis tempera-tissimus , ut omnis aqua fortis exha-let, id quod viginti quatuor horarum

spa-

spatio evenire solet, notando bene,  
ut ignis, non vehemens, sed tempe-  
ratissimus adhibetur, & spiritus a-  
quæ fortis asserventur, remanebitque  
in fundo pulvis fulvi coloris, qui o-  
ptime pulveratus in vasis vitreis ser-  
vatur ad usum. Ubi jam Calcedo-  
nium facere volueris, in promtu ha-  
beas vitrum bene purgatum, & ex  
frustis scyphorum confractorum cry-  
stallinis vitroque albo sæpius liquato  
factum. Etenim vitrum ex fitta re-  
cens factum formando Calcedonio  
aptum non est, nec colores eidem se-  
se applicant, sed à fitta consumun-  
tur. Semper ergo fragmenta adhi-  
beantur, & vitrum quod in usu antea  
fuit, & exempli gratia in ollam vitri  
librarum viginti aut circiter, dentur  
hujus medicamenti vel pulveris duæ,  
cum dimidia, vel tres unciæ, idque  
tribus distinctis vicibus, miscendo  
bene vitrum, ut pulverem optime  
imbibat, qui additus fumum quen-  
dam cæruleum emittit. Cum bene  
mix-

mixtum fuerit vitrum, quiescat per horam, eique altera mistura detur, & per viginti quatuor horas quiescat, misceaturque bene, & experimentum fiat, exhibebiturque colorem ex flavo cœruleum. Hoc specimen in fornace sèpius ignitum & extractum, ubi refrigerescere cooperit, undas repræsentabit marinas & colores satis elegantes. Ad sint tartari, expræscripto *capitis quadragesimi* usci, unciaæ octo, fuliginis camini bene vitrificatae unciæ duæ, nec non croci Martis sulphure calcinati unciæ pars dimidia. Omnia bene pulverata & unita vitro dentur, quatuor vel sex vicibus, observando, quod vitrum addito istiusmodi pulvere mirum in modum intumescat, & nisi industrius in administrando vitrarius sit, omnia pessum itura sint: paulatim ergo adhibetur, & per intervalla, miscendo semper vitrum, ut pulvis bene incorporetur. Porro addito omni hoc pulvere vitrum bullire, & non minore quam virgin-

viginti horarum spatio quiescere permittatur, quo tempore exacto cucurbitula ex eo fiat, & aliquoties in fornace candefactâ illâ videatur, an vitrum voto respondeat, & foris aëreum & viride quid, nec non aquam marinam, rubrum, flavum, aliosque varios colores, lususque & undas elegantissimas instar Calcedonii, Jaspidis vel Achatis orientalis exhibeat, ac si in aëre introspicias velut ignis rubeat; id enim si fiat, tempestivum erit, & vasa formentur diversi generis, ut sunt pocula, crateres, salina, vascula pro afferuendis floribus, & illius generis alia, sed semper plana & levigata, non varie elaborata: decus enim nullum habent: Notabit autem semper vitrarius, ut dum in opere est, forcipe vitrum bene vellicet, & cum judicio candefaciat, ut fluctus & undas marinæ lususque colorum elegantissimos reddat. Ex hac etiam massa patinas majores, ovi formâ, vel triangulares aut quadratas, prout visum

sum fuerit, facere, illasque instar  
gemmarum rotâ polire licebit: poli-  
turam enim & spendorē recipit, ac  
pro tablinis & pluteis inservire pote-  
rit, verum Jaspidem, Achatem &  
Chalcedonium repræsentantibus.  
Quod si colorem evanescere, vitrum-  
que ex opaco pellucidum fieri con-  
tingat, id quod in hoc opere noxiū  
est, suspendendus est labor, & vitro  
tartarum ustum, cum fuligine & cro-  
co, ut supra, addendum est, ita enim  
corpus recipit, & opacitas facit, ut  
colores appareant. Cæterum, ut pul-  
vis recens additus bene incorporetur,  
necessum est, ut vitrum per plures  
horas purgetur, quo peracto labor ut  
antea procedet. Atque hic ille mo-  
dus est, quo ego anno cīcī cī  
Florentiæ in Casino & fornace vitra-  
ria usus sum, qua æstate egregius  
Dn. Nicolaus Landus, familiaris  
meus, & insignis in smalti ad lucer-  
nam elaborandi negotio artifex for-  
nacem illam exstrui curabat, quo  
tem-

tempore etiam præparatâ ante materiâ, & servatis iisdem regulis, plures ex hujus generis Calcedonio patellas insigniter pulchras feci.

## C A P. XLIII.

*Secundi generis Calcedonius.*

1. IN libra una aquæ fortis solvi,  
& vase bene clauso seposui  
argentii puri minutim concisi uncias  
tres.

2. In vas aliud vitreum misi aquæ  
fortis libram unam, in eaque solvi, &  
solutas vase bene clauso seposui ar-  
genti vivi bene purgati uncias quin-  
que.

3. In Ampullam ejusdem generis  
aliam misi libram unam aquæ fortis,  
in eaque solvi, uncias duas salis armo-  
niaci, illisque solutis addidi dimidiam  
unciam croci Martis, aqua forti, ut  
*capite decimo nono dictum est, facti,*  
*nec non ferretti Hispanici, ex præ-*  
*scripto capitinis decimi quarti præparati,*  
&

& scoriæ rubræ, ad normam *capitis* *vigesimi quarti* factæ, nec non æris tremuli, sulphure, ut *capite vigesimo primo* demonstratum est, calcinati ana vel singulorum unciam dimidiam. Omnia hæc, (singula tamen seorsim, & per se) in pulverem redacta gradatim, & lente, adhibitâ patientiâ in ampullam misi: fritta enim non minus quam ferrettum Hispanicum & æs tremulum aquam fortem effervesce & turgere facit. Quare seorsim singula, nec non lente & in exigua per vices quantitate hæc immitenda sunt, ne intumescendo ebulliant, & vitrum frangatur, quod facile evenire solet. Diligentiâ itaque & patientiâ opus est.

4. In vasculum aliud vitreum misi libram unam aquæ fortis, & in ea solvi salis armoniaci uncias duas, illisque solutis sensim (quia intumescit, & strepitum magnum excitat) addidi antimonii crudi pulverati unciam dimidiam, & aliquanto post cœrulei  
vel

vel smalti pictorum tantundem, nec non minii unciam unam, & vitrioli, ut supra dictum est, purgati, unciam dimidiam. Omnibus antea bene tritis & solutis, vas clausum seposui.

5. In aliam ampullam vitream misi aquæ fortis libram unam, & in ea solvi salis armoniaci uncias duas. Postea addidi uncias duas Zafferæ, ut supra *capite duodecimo*, præparatæ, nec non magnesiax Pedemontanæ, ad normam *capitis decimi tertii* præparatæ, quartam partem unciæ, & dimidiam unciam scoriæ, ex laminis æris, in testudine fornacis, ter, ut supra *capite vigesimo quarto*, & *vigesimo quinto* demonstratum est, calcinatæ, cum uncia una cinnabaris. Atque hæc omnia seorsim optimè trita in ampullam misi, cavendo ab his quæ inflare vitrum solent: quibus peractis vas clausum seponebam.

6. In aliud ejusdem generis vas misi libram unam aquæ fortis, in eaque more solito dissolvi salis armoniaci

niaci uncias duas. Postea addidi un-  
ciam cerussæ dimidiam, quæ valde  
strependo intumescit, ideoque lente  
procedendum est: nec non laccę pi-  
ctorum rubrę, æruginis item, & sco-  
rię ferri ab incude decidentis ana un-  
ciam semis. Atque hęc scoria vehe-  
menter intumescit, ut jam cautione  
opus sit. Omnia seorsim bene trita  
in ampullam misi, cavendo bene ab  
his, quæ aquam fortē turgere & ef-  
fervescere faciunt, atque hac ratione  
agendo vitrum clausum seposui.

Has sex ampullas per dies duode-  
cim sepositas, quotidie sexies optime  
agitabam, ut aqua fortis penetrare &  
attenuare ingredientia posset; ita e-  
nim tincturam suam vitro commu-  
nicant. Exacto illo tempore mate-  
riam omnem sex illis ampullis con-  
tentam lentē (ne effervescendo vi-  
trum disrumperet) in ampullam gran-  
dem, & in fundo lutatam, agitatisan-  
tea mistisque bene omnibus super ci-  
neres misi, & ignem adhibui maxime  
len-

lentum, quo mediante aqua horis vi-  
ginti quatuor evaporavit. Notan-  
dum autem est, ignem postremo ad-  
hibendum esse summè lento, ne  
pulvis nimio calore corrumpatur.  
Qui aquam fortem recuperare volet,  
lutatis probè juncturis capellum ad-  
hibeat atque recipiens. Evanescente  
aqua, in fundo pulvis remanet ex ru-  
bro fulvus, qui vase clauso servetur  
usui.

Hunc pulverem dedi vitro, ex  
fragmentis vitri veteris, ut supra in  
primo Calcedonio dictum est, facto,  
recens enim fritta hīc nulli usui est,  
ut antea demonstravi : si tamen cry-  
stalli fragmenta adhibeas, melius suc-  
cedet negotium. Dosin autem ean-  
dem, eundemque miscendi modum,  
& eadem temporis momenta in hoc,  
quæ in priore illo, secutus sum : &  
corpus eidem dedi tartaro usto, nec  
non fuligine camini vitrificatâ, &  
croco ferri, aceto mediante facto, id-  
que lente admodum & sensim, pul-  
vis

vis enim hic terribiliter turget. Deinde cum per horas viginti quatuor quievisset, vas ex eo quoddam mihi parari curavi, eoque saepius bene can-defacto videbam an corpus opacitatem acquisivisset, atque illam colorum varietatem & undantes lusus exhiberet, quo animadverso, variii generis vasa ex eo fieri, & forcipe vel volfelliis opus more solito vellicare jussi, ad exprimenda variii generis phantasmata. Ex hac Calcedonii specie plurima pocula, eaque pulcherrima feci, & ex hac eadem massa aliquot centum corollæ in usus equitum speciosissimæ in *Flandria* per me factæ sunt, quas magnus *Hetruriæ* Dux Ferdinandus, felicis memoriæ, multique alii Principes & Domini viderunt.

E C A P.

## C A P. XLIV.

*Tertius modus faciendi Calcedonium.*

1. IN ampulla vitrea & aquæ fortis validæ libra una solvi, & solutas vase clauso seposui uncias quatuor bracteolarum argenti puri.

2. In alia ejusdem generis ampulla & libra una aquæ fortis solvi uncias quinque argenti vivi, sale communi & aceto purificati. Et sal quidem acetato forti irroratum in scutella lignea pistillo ligneo assidue agitabam, & aqua limpida communi, ut liqueficeret, omnemque Mercurii nigredinem secum aveheret, lavabam: idque saepius repetii, addito semper novo sale & aceto: quo peracto Mercurium per pellem caprinam trajeci, & in aqua forti solutam vase clauso seposui.

3. In alia cucurbitula vitrea & libra una aquæ fortis solvi uncias tres argenti puri hac ratione calcinati. Argentum Mercurio, ut moris est, amal-

malgamatum, misceatur cum æquali pondere salis communis, ab omni terrestri substantia purificati, id quod solutione per aquam communem facta assequimur: aqua cocta bidui spatio quiescat, in hunc finem, ut particulæ salis terrestres sidant, quo facto aqua filtratur, & alio vase vitro excepta, evaporando absimitur, & sal bene siccatum denuo solvitur, quietescit, filtratur, & evaporat ut supra: idque tantisper continuatur donec sal feces in fundo nullas relinquat, & preparatum erit purificatumque. Atque hęc salis purificatio non ideo tantum fit, ut tanto in Lunam efficacius agat, sed ne Luna terrestrium particularum quidquam assumat, quod postea non nisi difficulter separari ab ea possit. Mittantur omnia in crucibulo super carbones, ut Mercurius avolet, ac argentum in fundo remaneat calcinatum pulveratumque, cui æquale pondus salis communis, ut supra præparati, adjunges, mixtaque o-

E 2 mnia

mnia in crucibulo per sex horas in ignem ad calcinandum mittes. Hanc materiam aqua calida s<sup>e</sup>pius lavabis, ut salbedo omnis abeat. Postea argentum in ampulla vitrea, communiaqua repleta, ad consumtionem quartæ partis coques, & refrigerari ac residere argentum permittes. Decantetur quod residuum est aquæ, idque additâ semper recenti aqua ter iteretur, & quarta demum vice in ampullam aquæ fortis mittatur, agitetur & servetur in usum.

4. In vas vitreum aliud misi libram unam aquæ fortis, & in ea solvi uncias tres salis armoniaci, & solutione facta, id quod limpidum erat decantavi, abjectis quæ in fundo resedenterant fecibus. In hac aqua solvi drachmas duas argenti, & solutas vase clauso seposui.

5. In cucurbitulam aliam misi libram unam aquæ fortis, in eaque solvi uncias duas salis armoniaci, & solutione facta addidi cinaprii, & croci

Mar-

Martis sulphure, ut *capite decimo sexto* demonstratum est, calcinati, nec non lapidis Armenii & ferretti Hispanici, ex præscripto *capitis decimi quarti facti*, ana drachmas quatuor. Singula seorsim bene trita mittebam in ampullam, cavendo mihi ab his, quæ aquam fortē turgere & effervescere faciunt. Lentē enim hīc agendum est, ne exundante materia labor omnis frustraneus sit; quo facto vas clausum seponebam.

6. In ampullam vitri aliam misi aquæ fortis libram unam, solvendo in eadem, more solito, uncias duas salis armoniaci: postea addidi croci Martis, aceto, ut supra *capite decimo septimo*, calcinati, nec non calcis stanni inter vitrarios notissimæ, & zafferræ, ut *capite duodecimo* demonstratum est, præparatæ, atque cinaprii, ana, unciam dimidiam. Singula seorsim bene trita, sensim, & ne effervescente aqua omnia pessum irent, adhibitâ ingenti diligentia, addebam, eoque

E 3 fa-

facto vas clausum adservabam.

7. In cucurbitulam ejusdem generis aliam misi aquæ fortis libram unam, solvendo in eadem salis armoniaci uncias duas. Postea addebam æris tremuli, sulphure ad normam *vigesimi primi capit is* calcinati unciam unam, scoriæ æris, ex præscripto *vigesimi octavi capit is* ter calcinatæ, nec non Magnesiæ Pedemontanæ, ut supra *capite decimo tertio* præparatæ, & scoriæ ferri ab incude decidentis ana unciam dimidiam: singula seorsim bene trita, sensim, & metu effervescentiæ cum cautela, & quasi per otiuum addebam, eoque facto vas clausum seponebam.

8. In vas vitreum aliud misi aquæ fortis libram unam, & salis armoniaci more solito uncias duas. Solutione facta addebam minii drachmas quatuor, æruginis unciam unam, antimonii crudæ & capitis mortui vitrioli purificati ana unciam dimidiam. Singula seorsim bene trita, & ad præcaven-

cavendam ebullitionem, ut fieri solet, sensim addebam, eoque facto vas clausum seponebam.

9. In cucurbitulam aliam misi aquæ fortis libram unam, & in eadem solvi salis armoniaci uncias duas. Deinde addidi auripigmenti, arsenici crystallini, & laccæ pictorum ex granis Kermes ana unciam dimidiam. Singulis seorsim bene tritis, additisque, ab effervescentia mihi more solito bene cavebam, coque facto vas clausum seponebam.

Has novem ampullas per quindecim dies bene clausas in calore fontanis detinui, & easdem quotidie saepius optime agitavi, ut aqua fortis agendo in materialia eadem bene attenuaret, tincturamque eorundem aperiret, quæ nisi bene reclusa male operatur. Postea omnem aquam formam cum suis ingredientibus in ampullam unam capacem vitream bene firmam lentè & per gradus mittebam; Etenim dum uniuntur effervescent.

E 4  Inde

Inde clausam per sex dies , & quotidie agitatam ampullam cineribus imposui, & adhibito per viginti quatuor horas lento igne id solum egi, ut aqua evaporaret ; Notetur autem ampullam hanc inde à fundo ad medietatem usque bene lutatam esse debere , & postremo ignem adhibendum esse summè lentum , ne pulveres nimio calore corrumpantur , sed aqua tantum evanescat, & pars spirituum melior pulveri affixa remaneat : ea etenim ratione pulvis optimos in vitro efficiens exhibet . Qui aquam recuperare volet, lutatis bene juncturis capellum & recipiens adhibeat : acui enim deinde, ut suo loco dicetur, potest. In fundo ampullæ pulvis relinquebatur coloris ex virescente fulvi , cuius eandem, ut in primo Calcedonio , dosin & quantitatem vitro purificato, & ex fragmentis crystalli, non vero ex fitta facta, addebam ; neque enim in illo vitri genere succederet negotium. Circa temporum momenta & cautelas

las eadem ut in primo Calcedonio regulæ serventur. Deinde, ut in primo Calcedonio dictum est, oportuno tempore tartaro usq; , fuligine camini & croco Martis aceto mediante facto opacitatem ei tribuebam, adhibitâ, eadem ut ibidem dosi, industria, & spatio temporis, & exactis viginti quatuor horis id agebam, ut vitrum elaboraretur, forcipe, illud ut supra dictum est, diligenter vellcando, & saepius recalefaciendo.

Hunc tertium modum expertus sum Antverpiæ anno 1609, mense Januario, quo tempore morabar, & per plures annos habitabam in ædibus Domini Emanuelis Ximenii, Equitis S. Stephani, natione Portugallenfis, & civis Antverpiani, hominis ingeniösi, & in omnibus scientiis supra omnes alios quos ego in Germania inferiore unquam vidi vel cognovi, maxime subacti. Atque hoc pulvere Antverpiæ in fornace vitraria Domini Philippi Giridolfi, hominis val-

E 5 de

de officiosi, Calcedonium feci, usque  
adeo pulchrum & venustum, ut ve-  
rum Achatem imitaretur, & venu-  
state coloris quam longissime supe-  
raret. Et plures Portugallensium no-  
biles gemmarii eundem cum admira-  
ratione aspicientes, ajebant, naturam  
ad illud fastigium ascendere non pos-  
se. Atque hic Calcedonius omnium  
quos ego feci, pulcherrimus erat,  
pensante operis pulchritudine fasti-  
gium laboris, & diuturnitatem ope-  
rationis, ex eoque vas a duo Princeps  
Auriacus sibi comparavit, & grata  
acceptaque sibi esse demonstravit.  
Quod si aqua fortis bona, & ingre-  
dientia bene præparata fuerint, opus  
prodibit longe quam ego dico pul-  
chrius.

AN-

ANTONI NERI  
DE ARTE VITRARIA,

L I B E R III.

*Quo demonstrantur veri modi producendi in vitro colorem aureum, Granati, Amethysti, Sapphiri: nigrum item holosericeum, lacteum, marmoreum, & rubrum plenum: nec non modus faciendi frittam ex crystallo montana: modus item tingendi vitrum colore margaritæ, aliaque particularia in exercitio artis vitrariæ necessaria.*

C A P. X L V.

**H**Oc libro tertio demonstratur ratio producendi in vitro colorem aureum, nec non colorem Granati, Sapphiri, nigrum holosericeum, lacteum, marmoreum, rubrum plenum, & colorem margaritæ, idque variis modis, quorum unus præstantor est altero: modus item singularis faciendi frittam ex crystallo montana,

E 6 na,

na, quæ non minus quam fritta ordinaria tunditur, ut inde vasa fiant plane candida, pulchra & speciosa. Dubium non est, quin eorundem colorum plurimi his qui circa artem versantur jam noti sint: sed non omnes omnibus. Aureum enim & rubrum plenum, ceu colores in arte vitraria difficiles & fastidiosos pauci bene facere norunt: ut enim fiant tanta opus est attentione circa dosin, tempus, circumstantias & ingredientia, ut si vel minimum in aliquo eorundem errare contingat, res omnis corrumpatur, & colores plane diversi prodeant. Ego in his duobus æque ac in aliis omnibus coloribus circumstantias & minutissima quæque usque adeo evidenter & perspicuè describo, ut dubium nullum sit quin omnes me ita capiant, ut nulos non colores & nominatim supradietos, aureum & rubrum plenum perfectè & non sine jucunditate & satisfactione sua facere possint.

C A P.

## C A P. XLVI.

Aureum *in vitro* colorem producere.

**R**ecipe fritte crystalli tarso factæ partes duas: longe enim melior est, quam quæ arenâ fit: frittæ rochettæ itidem tarso factæ partem unam. Misceantur omnia, & contundantur benè, atque in singulas centum libras hujus compositionis assumatur tartari rubri, crassioris & bene vitrificati libra una. Hoc recrementum vini, ita ut est crudum, tundatur bene, & per cribrum angustum transeat, deturque in singulas hujus tartari libras libra una magnesiæ Pedemontanæ, eo qui *capite decimo tertio* docetur modo præparatæ. Misceantur bene hi duo pulveres, mistique cum frittis supradictis commisceantur optimè, & mistura in ollam missa igne fornacis ordinario per dies quatuor coquatur. Cæterum quandoquidem hi pulveres vitrum inflant & bullire faciunt, mistura sensim & per

gra-

gradus in ollam mittenda est, ne vitrum per orificium fornacis effluat. Ubi vitrum jam bene purgatum & tinctum fuerit (id quod exactis diebus quatuor frequenter evenire solet) in vas a & istiusmodi opera alia elaborandum est: haec enim dosis materialium colorem dabit pulcherrimum. Quod si colorem ad opera magna magis dilutum requiris, minus pulveris addendum est, & dosin habebis istiusmodi laboribus aptam: at vero ut opera pellucida & tenuia fiant, servando dosin priorem color satis dilutus & perspicuus erit; plus enim materiae tingentis requirunt. Canna autem vitrarium crassa, quam Itali *da Spiei* vocant, minus tartari & quasi dimidium magnesiae postulat. Notetur autem utramque frittam, crystalli & rocchettæ optime unitam & permixtam esse debere. Tartarum sit rubrum, non album: id enim huc nihil facit: sitque crassum & in frustis, non pulvereum; nam etiam illud inutile est.

est. Magnesia semper sit Pedemontana. Pulvis materiæ detur, non vitro fuso: neque enim tingeret, omniaque sensim & per partes in ollam mittantur. Servatis his regulis color evadet aureus satis pulcher. Si vero pulcherrimum desideras, loco rocchettæ meram crystalli frittam recipe, & colorem habebis aureum magis pulchrum, magisque speciosum. Atque hunc modum ego servavi in producendis dictis coloribus, & quotiescumque illum expertus sum, semper mihi pulchre successit.

---

### C A P. XLVII.

#### *Color Granati.*

**R**Ecipe pondus æquale fritte crystalli & rocchettæ optime mixtum, atque singulis hujus misturæ libris centum libram unam magnesiæ Pedemontanæ, ex præscripto *capitis decimi tertii* præparatæ, nec non Zafferæ præparatæ, & cum magnesia bene

bene mistæ unciam unam. Misceatur bene hîc pulvis cum frittis supradictis, & postea sensim mittatur in ollam, notando magnesiam in causa esse, cur vitrum turgeat. Ergo lente agendum erit, ne vitrum pessum eat. Zaffera magnesiæ bene admista sit: etenim vivum colorem reddit, eique splendorem conciliat atque venustatem. Exacto quadrigilio, ubi vitrum purgatum & bene tintum erit, operi admovenda manus est. Atque hæc justa dosis est magnesiæ pro vasis modicæ magnitudinis, ut color satis plenus evadat. Minora vasa plus, majora minus & dimidium prædicti pulveris tequirunt: & revera color vitri vel intendendus, vel diluendus est pro ratione operis quod agendum suscipitur, idque totum à judicio & discretione ejus dependet, qui pulvrem adhibet.

C A P.

## C A P. XLVIII.

*Color Amethysti.*

**R**Ecipe frittam crystalli tarso optime factam, & antea quam in ollam aut vas mittatur, singulis fritte libris adde infrascripti pulveris bene misti unciam unam, misceanturque omnia bene, & sensim in fornacem mittantur: haud secus etenim atque supradictus Granati color turget. Ubi vitrum purgatum, & vero Amethysti colore infectum fuerit, operi manus admoveatur. Notandum, hunc colorem non aliam quam crystalli frittam desiderare, eundemque vel intendendum vel diluendum esse pro ratione operis. Pulvis producendo huic colori aptus is est qui sequitur. Recipe magnesiae Pedemontanæ, ex præscripto *capitis decimi tertii* præparatæ, libram unam, Zafferæ præparatæ unciam unam cum dimidia. Misceantur bene hi duo pulveres, denturque frittæ crystalli, & vitrum

vitrum dabunt veri Amethysti colore  
infectum.

## C A P . X L I X .

*Color Sapphiri.*

**R**Ecipe frittam rocchettæ , & in centum hujus fritte libras detur libra una Zaffereę, ad normam *capitis duodecimi* præparatę , & cum uncia una magnesię Pedemontanę præparatę antea bene mistę. Mittatur fritta in fornacem , vitrumque fluat atque purgetur optimè , eoque purgato misceatur benè , videaturque an color satis plenus sit, ut augeri vel dilui, si opus sit, poscit, atque sic elaboretur, & colorem sapphiri habebis, qui violæ duplicis Constantinopolitanæ colorem referet, id quod exigua magnesię dosis eidem præstat, ut *Pisces* saepius , & semper cum successu expertus sum. Magis tamen quam ego dicere ausim admirandus ille color erit, si ex sola crystalli fritta fiat, ut proxime demonstro.

C A P .

## C A P. L.

Color Sapphiri *magis venustus.*

**L**oco fritte rochette habeas frittam crystalli optimam, deturque ei prædictus pulvis in dicta dosi, & colorem sapphiri referet fulgentem & pulchrum, quo facere, quicquid voles, poteris: notando coloritum ex magnesia & Zaffera fritte dandum, non vitro fuso: vitrum enim fusum colorem non nisi ægre, atque ita recipit, ut nullius valoris sit.

## C A P. LI.

*Niger color.*

**R**ecipe ramenta variii coloris, illico adde magnesiam & Zaffaram, & magnesiæ quidem quam Zafferæ dimidio minus. Hoc vitrum bene purgatum elaboretur, & nigrum dabit instar holoserici, nec conflandis tantum vitris nitens & pulcherrimum, sed cuicunque operi aptissimum.

C A P.

## C A P. LII.

*Nigrum pulchrius.*

**R**Ecipe frittæ crystalli & pulveris  
ana, libras viginti, calcis plum-  
bi & stanni libras quatuor: miscean-  
tur omnia bene, & in olla calente  
mittantur in fornacem & ubi vitrum  
bene purgatum fuerit, recipe chaly-  
bis bene calcinati & pulverati, nec  
non scoriæ ferri ab incude incidentis  
& pulveratæ partes æquales, easque  
bene misce. Hujus pulveris bene mi-  
sti unciæ sex dentur vitro fuso, mi-  
sceanturque omnia: vitrum enim ad-  
dito hoc pulvere vehementer turget.  
Deinde quiescat per horas duode-  
cim, ita tamen ut nonnunquam mi-  
sceatur, ac tandem manus operi ad-  
moveatur, prodibitque nigrum ho-  
loserici instar pulcherrimum, & cui-  
cunque operi aptum.

C A P.

## C A P. L I I I.

*Nigrum aliud pulchrius.*

**I**N libras centum frittæ rocchettæ dentur tartari rubri pulverati libræ duæ, nec non magnesiæ pulveratæ & cum tartaro mistæ unciæ sex. Fitta sensim in fornacem mittatur, vehementer enim turget, purgeturque, id quod spatio dierum quatuor vel circiter fiet. Misceatur bene vitrum, laveturque, & nigrum dabit admiratione dignum & multo quam superscripti nigri colores magis operibus aptum.

## C A P. L I V.

*Lacteus color egregius.*

**R**Ecipe frittæ crystalli libras duo decim, & calcis plumbi stannique libras duas. Misceantur omnia bene, & addatur unciæ magnesiæ præparatæ pars dimidia, unitaque omnia mittantur in ollam calentem,  
stent-

stentque per horas duodecim: misceatur postea bene vitrum, & si color satis plenus non fuerit, addatur non-nihil calcis supradictæ, misceaturque bene cum vitro, ut incorporetur, & octo horarum spatio vitrum operi aptum erit, dabitque colorem lacteum pulcherrimum, qualem ego saepius feci.

---

**C A P. L V.**

*Color lacteus pulcher, magisque candidus.*

**R**Ecipe frittæ crystalli quadrin-gentas libras, nec non calcis stan-ni libras sexaginta, & magnesiæ Pe-demontanæ præparatæ libras duas cum dimidia. Pulverentur omnia bene, mittanturque in ollam & purgentur, id quod exactis octodecim diebus accidit. Hanc materiam projeci in aquam, ac denuo in ollam misi, ea-que purgata experimentum feci, & quia transparere videbatur, addidi calcis

calcis supradictæ libras quindecim.  
Calx stanni in officinis vitrariis no-  
tissima res est. Vitrum aliquoties mi-  
scui, & unius diei spatio supra quam  
id dici potest pulchrum, & quavis  
nive candidius evasit. Dedi operam  
ut elaboraretur, idque multoties ea  
ratione feci, & semper mihi bene  
successit. Ex rocchetta lacteus quo-  
que color, sed minus quam ex cry-  
stallo candidus fit. Crystallum ergo  
semper adhibeat, qui exquisiti quid-  
quam facere desiderat.

---

### C A P. LVI.

*Ut color marmoreus fiat.*

**F**Rittam crystalli in ollam mitte, &  
ubi liquata fuerit, manum operi  
admove, antea quam purgetur, &  
marmoreum satis pulchrum erit.

C A P.

## C A P. LVII.

Perfici color *in lacteo.*

**M**Agnesia Pedemontana præparata in lacteo dabit colorem floris mali perfici. Notandum autem est, in tempore elaborandum esse vitrum: color enim evanescit.

## C A P. LVIII.

Rubrum plenum.

**R**Ecipe frittæ crystalli libras vingt, ramentorum vitri candidi libram unam, stanni calcinati libras duas. Misceantur omnia, mittantur in ollam, fundantur & purgentur. Fusis omnibus habeas chalybis calcinati, & bene lœvigati, nec non scoriæ ferri ab incude decidentis & bene tritæ partes æquales. Recipe hujus pulveris misti uncias circiter duas, easque vitro supradicto, ubi purgatum fuerit optime admisce: formidabilem enim in morem hic pulvis vitrum inflat:

flat: sine incorporari, id quod quinque vel sex horis evenire solet. Advertatur ne pulveris nimium adhibeat: vitrum enim nigrum fieret, cum tamen non opacum, sed pellucidum aut obscure flavescentis coloris esse debeat. Id ubi asscutus fueris, bene habet, atque tunc recipe æris rubri, in arcu fornacis ut *capite vigesimo quarto* demonstratum est calcinati, & bene triti drachmas circiter sex; addantur vitro, misceanturque sæpius, & tertia vel quarta vice color instar sanguinis ruber apparebit. Sæpius ergo experimentum capiatur, & ubi color responderit, statim elaboretur; nisi enim id fiat, color ruber evanescit, succedente in locum ejus nigro. Præterea ne color pereat, olla aperta sit, omniaque cum cura agantur necesse est, & dum chalybs & ferri scoria additur, attendendum est, ne modum excedas, vitrumque nigrum evadat, sed transparentem & obscure flavescentem colorem obtineat, tunc enim

F addi-

addito ære rubro color pulcherrimus apparebit, qualem ego sæpius feci. Denique id agatur ut olla quam id fieri potest minime incandescat, neque plus decem horis in fornace permaneat, ac si colorem interea evanescere contigerit, id quod aliquando accidit, addito novo pulvere ex scoria ferricolor redibit, & quia fastidiosum hoc negotium est, cum cura præparandum & peragendum erit.

## C A P. L I X.

*Crystallus montana.*

**C**rystallus montana in crucibulo operto, procul ab omni cinere & immunditia ignescat, frigidâ restinguatur & calcinetur, idque octies repetatur, & ubi resiccata fuerit, super porphyrio lapide in pulverem redigatur in palpabilem. Hic pulvis cum sale pulveris in ampulla vitrea, ut capite tertio dictum est, præparato, & sæpius purificato misceatur, & fritta fiat,

fiat, quæ in ollam calidissimam cum debita dosi magnesiæ missa, in forna-  
ce detineatur, & suo tempore, ut in  
crystallo dictum est, in aquam sæpius  
projiciatur, deinde optime purgetur,  
& more solito instar alterius generis  
crystalli elaboretur, videbisque mi-  
rabilia.

## C A P. LX.

Margaritæ color *in crystallo*.

**C**rystallo fusę purgatęque detur  
ter vel quater tartarum bene &  
ad albedinem usque calcinatum, mi-  
sceaturque bene cum vitro, idque tam  
diu repetatur, addito semper novo  
tartaro, usque dum vitrum margaritę  
colorem assumat: nulla enim hic certa  
regula dari potest, cum totum hoc  
negotium in experientia situm sit. U-  
bi color responderit, statim elabore-  
tur, facillime enim evanescit. Hic  
meus processus est, quem sæpius ex-  
perientia comprobavit.

F 2                  A N -

ANTONI NERI

Florentini

## DE ARTE VITRARIA,

LIBER IV.

*Quo verus modus demonstratur faciendi  
vitrum plumbi, nec non plumbum  
ipsum calcinandi, & ex eodem extra-  
bendi colorem Smaragdi, Topasii,  
Cyaneum vel picæ marinæ, Incar-  
natum, Saphiri, aureum & lapidis  
Lazuli: nec non modus tingendi cry-  
stallum montanam colore permanente  
Rubini, Balassii, Topasii, Opali, He-  
liotropii, aliisque coloribus pulcherri-  
mis.*

## C A P. LXI.

**V**itrum plumbi, paucis in arte vi-  
traria notum, si de coloribus a-  
gatur, vitrum est, omnium, que nunc  
quidem in fornace fiunt, pulcherri-  
mum & nobilissimum, quo veros  
gemmarum orientalium colores imi-  
tamur, id quod crystallo vel alterius  
gene-

generis vitro fieri non potest. Verum est, nisi sedulo admodum attendas, cujuscunque generis ollas & vasa perrumpit, & in cineres abit. Omnia ergo usque adeo distinctè describo, ut credam nullum non periculum evitari posse. Totum autem hoc negotium in eo consistit, ut veram plumbum calcinandi recalcinandi que rationem noscamus. Quanto enim calcinatum est sàpius, tanto ad seredit minus, & consequenter minus ollarum dissolvit. Semper autem in aquam projiciendum, & exemptum denuò in sui generis massam conflandum est: & quoties aliqua ejusdem particula in ollæ fundo reperitur, toties cum cura eximenda est, nisi enim id fiat, ollas perrumpit, & fundum eaurundem consumendo, simul cum vitro per angustissimas rimas transit, ollasque relinquit vacuas. Observentur ergo sequentes hoc libro descriptæ regulæ, & omne evitabitur periculum.

F 3

C A P.

## C A P. L X I I .

*Plumbum calcinare.*

PRimo plumbum in fornacula calcinetur, (quod his qui fictilia præparant notum est) idque in quantitate non exigua: bidui enim spatio multa plumbi centenaria calcinabuntur: notetur tamen, ut fornacula ha-  
cenus ita calefiat, ut fundendo vitro sufficiat, nec ultra; non enim calcinaretur. Ubi plumbum aliquantis per liquatum fuerit, & cuticulam flavescentem contraxerit, pars ejusdem calcinata ferro ad talia apto attrahenda, & in extremitate interiore fundi fornaculæ extendenda est, quæ quidem extremitas lapide constet tenero, qui ignem ferat, & orificium versus propendeat, quæ omnia ceu vulgo nota hic consulto præterimus; id tan-  
tum notando, plumbum semel calci-  
natum denuo in fornacem moderatè calidam ad reverberandum mitten-  
dum & distendendum, nec non ferro

per

per plures horas assidue agitandum esse, quâ secundâ calcinatione flavedinem acquirit. Postea per cribrum trajicitur angustum, & si quæ ejusdem particulæ non transeunt, plumbō novo addito denuo calcinantur. Atque hac ratione magna plumbi quantitas ad vasa fictilia, & in usus figurorum calcinatur. Cæterum id vel maxime agendum est, ut moderate calida fornax sit: etenim si justo calidior sit, plumbum nunquam calcinabitur.

## C A P. LXIII.

## Vitrum plumbi facere.

**R**Ecipe exempli gratia hujus plumbi calcinati libras quindecim, fritte crystalli, vel pro ratione coloris quem intendimus, rochette, aut pulveris libras duodecim. Omnia accuratissime unita mittantur in ollam, & exactis decem horis (eo enim temporis spatio optime liquata

F 4 erunt)

erunt) projiciantur in aquam, notando, s<sup>e</sup>pius contingere, ut in fundo olla aliqua pars plumbi co<sup>e</sup>at in massam sui generis, qu<sup>e</sup> diligentissime exigenda est: nisi enim id fiat, diffingentur ollae, atque omnia pessum ibunt. Hoc ergo unum ex pr<sup>e</sup>cipuis in hac operatione observationibus est. Pr<sup>e</sup>terea cavendum est sedulo, ne grana plumbi, qu<sup>e</sup> in aqua sunt, & vitro non cohærent, denuo in ollam redeant; eadem enim ratio, idemque fracturæ & damni metus subest. Servatis his vitrum in ollam redeat, & exactis summum decem horis operi aptissimum erit. Atque hic modus est faciendi vitrum plumbi.

## C A P. LXIV.

*Modus elaborandi vitrum prædictum.*

**S**I cui potoria, vel diversi generis salia vasa in usus domesticos ex vitro plumbi parare animus est, exiguum ejusdem particulam cannâ vitrariâ

trariâ attollat, sublatam non nihil defervescere patiatur, ac tum demum manum operi admoveat. Antea tamen marmor bene purgetur, & interea, dum vitrum parumper refrigerescit, frigidâ benè humectetur: nisi enim id fiat, marmor nunquam non decorticatur à vitro plumbi, & vitrum assumtâ aliquâ marmoris particulâ deforme opus reddit. Affidue ergo, dum sub manibus vitrum est, humectetur marmor, alioquin omnis vitri elegantia & pulchritudo perit. Præterea, quanto durius est marmor, tanto minus periculi subest. Atque hic procedendi modus, in refrigerando vitro, & humectando marmore, semper locum habet, quotiescunque nova vitri particula elaboranda suscipitur. Usque adeo enim tenerum hoc vitri genus est, ut nisi refrigerescat, & in exigua admodum mole attollatur, elaborari nulla ratione, nec cannâ vitrariâ eximi è fornace possit: atque hanc suam teneritudinem, juscule si-

F 5 mil-

millimam, plumbo debet. Ut ergo  
commode elaborari possit, parum vi-  
tri attollatur, sublatum nonnihil de-  
fervescat, marmor continue hume-  
ctetur, & olla moderate calida sit.

## C A P. L X V.

*Vitrum plumbi colore Smaragdi  
admirando.*

**R**Ecipe frittæ pulveris cibratæ  
libras viginti, calcis plumbi cri-  
bratæ libras sedecim. Misceantur  
optime, transeantque per cibrum,  
& mittantur in ollam moderatè cali-  
dam, & octo vel decem horarum  
spatio optime omnia liquefcent. Pro-  
jificantur in aquam, & quidquid in  
fundo ollæ, vel aquæ, plumbi est,  
cum cura eximatur, ne ollam dissol-  
vat. Hoc peracto, materia in ollam  
redeat, & sex vel octo, aut circiter  
horis optime liquefcet. Projiciatur  
denuo in aquam, & plumbum omne  
semoveatur, ut antea, & vitrum ab  
omni

omni pinguedine calcis plumbi & sa-  
lis pulverei liberum , splendorem ac-  
quiret lucidissimum , & paucis horis  
liquefcet ac purgabitur optimè . Ubi  
jam liquefactum purgatumque fue-  
rit , addantur unciae sex scoriæ æris  
caldarii , ter , ut *capite vigesimo octavo*  
demonstratum est , calcinatæ , & cum  
granis 24 croci Martis aceto facti per-  
mista , idque per intervalla , quæ reci-  
tandis fidei articulis , vel ut vulgo vo-  
cant *Credo* &c. sufficient , sextam sin-  
gulis vicibus hujus medicinæ partem  
adjiciendo , & vitrum optime miscen-  
do . Postea quiescat per horam , mi-  
sceaturque , & capiatur specimen , &  
si quidem color voto responderit , per  
alias octo horas quiescat , ut omnia  
incorporentur & exactis illis , vitrum  
elaboretur , atque ex eodem pocula  
fient coloris usque adeo splendidissimi ful-  
gentisque , ut ex smaragdo de rupe  
orientali veteri facta videri possint .  
Hoc vitrum , ubi debito modo tin-  
ctum fuerit , tantisper in olla detinea-  
tur ,

F 6

tur,

tur, usque dum feces omnes absunt, vitrumque satis purgatum sit, & colorem habebis smaragdo naturali adeo similem, ut discerni ab eodem vix possit.

## C A P. LXVI.

Viride smaragdinum aliud, super omnia alia admirandum.

**U**T viride istiusmodi admirandum fiat, recipe eandem frittæ, calcisque plumbi, nec non croci Martis, ut antea cap. 65, quantitatem, substitâ in locum scoriæ æris eadem quantitate capit is mortui vitrioli Veneris, ex præscripto *capitis* 131 & 132 præparati: atque hoc viride tam est rarum, quam quod fieri alio qualicunque modo potest, id quod ego non citra delectationem sæpius expertus sum.

C A P.

## C A P. LXVII.

Color Topasii *in vitro plumbi.*

**L**oco frittæ pulveris recipe frittæ crystalli libras quindecim, & calcis plumbi libras duodecim. Misceantur, cribrentur & in ollam transfeant moderate calidam, exactisque octo horis projiciantur in aquam, ablatoque omni, ut antea, plumbo, in ollam, & successu temporis denuo in aquam redeant, servatisque servandis addatur vitri aureo colore, ut suo loco dictum est, tincti, pars dimidia. Incorporarentur, purgenturque, & verum imitabitur hæc materia Topasium orientalem.

## C A P. LXVIII.

Cœruleus vel aquæ marinæ *in vitro plumbi color.*

**R**ecipe frittæ crystalli libras sedecim, calcis plumbi libras decem. Misceantur, cribrentur, cribratæ in ollam

ollam mittantur moderatè, ut antea,  
calidam, & exactis duodecim horis  
materia optime liquefacta erit, quam  
una cum olla in aquam projicies, se-  
paratoque plumbō, ut antea, in for-  
nacem, atque sub finem horarum o-  
&to in aquam denuo mittes, & opti-  
me purgabitur. Hoc factō recipē  
ris tremuli, ut supra cap. 20. demon-  
stratum est, præparati uncias qua-  
tuor, nec non zafferæ præparate par-  
tem uncię quartam. Hi pulveres o-  
ptime permisti per intervalla quatuor  
dentur vitro plumbi, & exactis dua-  
bus horis vitrum denuo bene miscea-  
tur, captoque specimine videatur, an  
color pro ratione operis satis plenus  
sit, nec ne. Deinde quiescat per ho-  
ras decem, & incorporato colore vi-  
trum operi aptissimum erit, & ope-  
rando, ut suo loco dictum est, vitrum  
habebis coloris satis pulchri.

CAP.

## C A P. LXIX.

Color Granati *in vitro plumbi.*

**L**ibræ viginti frittæ crystalli per-  
misceantur cum libris sedecim  
calcis plumbi, additisque tribus un-  
ciis magnesiæ Pedemontanæ, nec non  
uncia zafferæ dimidia præparatis, mit-  
tantur in ollam solito more calidam,  
& sub finem horarum duodecim pro-  
jiciantur in aquam, semotoque omni  
plumbo in fornacem redeant, & horis  
decem purgabuntur. Misceatur ma-  
teria, videatur an color respondeat,  
& manus operi admoveatur, habe-  
bisque vitrum pulcherrimum, & co-  
lorem Granati satis speciosum.

## C A P. LXX.

Color Saphiri *in vitro plumbi.*

**R**Ecipe frittæ crystalli libras quin-  
decim, & calcis plumbi libras  
duodecim. Misceantur optime &  
cribrentur, cribratisque dentur zaf-  
feræ

feræ præparatę uncię duę, nec non grana viginti quatuor magnesię Pendemontanę præparatę, omniaque misceantur, & per horas duodecim in olla & fornace detineantur. Postea omnis hæc materia projiciatur in aquam, separatoque cum cura omni plumbō, per alias duodecim horas in fornace purgetur, captoque specimine, si color responderit, elaboretur, & vitrum habebis colore Saphiri orientalis oppido formosissimum, qui violæ duplicitis colorem admixtum habebit, & aspectu jucundissimus erit.

## C A P. LXXI.

*Color in vitro plumbi aureus.*

**R**Ecipe frittæ crystalli, nec non calcis plumbi, ana libras 16. Misceantur benè, cribrentur, addanturque scorię æris caldarii ter calcinatę uncię sex, & croci Martis acetato facti grana 48. Omnia bene mixta mittantur in ollam moderatè calidam,

dam, & exactis duodecim horis pro-  
jiciantur in aquam, separatoque  
plumbo per alias duodecim horas in  
ollam redeant, & optime purgabun-  
tur. Misceatur materia, & experi-  
mentum capiatur, an color respon-  
deat, & si virescere videbitur, adda-  
tur parum croci Martis, & ablata vi-  
riditate color prodibit auri pulcher-  
rimus. Elaboretur, & colorem ha-  
bebis, pulchrum, qualis est auri &  
qualem ego saepius feci.

## C A P. LXXII.

Color *lapidis Lazuli.*

**L**AETEUM pulcherrimum, ex præ-  
scripto *capitis quinquagesimi quin-  
ti*, & cristallo candidissimâ factum  
in olla funde, fuso sensim addatur  
tantum smalti pictorum cœrulei,  
quantum tingendo vitro sat erit. Mi-  
isceatur bene vitrum, videaturque an  
color respondeat, eoque responden-  
te per bihorium stet, ac denuo mi-  
scea-

sceatur, & coloris experimentum fiat, omnibusque bene sese habentibus, per horas decem quiescat. Misceatur iterum, & omnibus in eodem coloris gradu permanentibus, vasa fiant, quæ verum Lazuli lapidem referent. Quod si materia, dum in opere vitrarius est, turgeat, addantur aliquot frusta foliorum auri, quæ per vasa, dum turgent, distributa, naturalem lapidis Lazuli speciem tanto magis reddent.

## C A P. LXXIII.

*Modus tingendi crystallum montanum  
colore viperæ.*

**R**Ecipe fragmenta crystalli montanæ pellucida, & sine omni terrestri materia, undantis aquæ speciem repræsentantia, diversè magnitudinis, antimonii crudi & auripigmenti flavi bene pulveratorum ana uncias duas, & salis armoniaci unciam unam. Pulverata mistaque omnia mittantur in

in fundum crucibuli, quod ignem ferat, iisque imponantur frustula crystalli prædicta. Tegatur crucibulum, crucibulo alio inverso, ita, ut orificium orificio respondeat, luteturque optimè & siccatum mittatur in medios carbones, qui adhibito sensim igne, sponte sua incendantur, & crucibulum, ubi ignem senserit, fumare plurimum incipiet. Et hæc quidem operatio caminum requirit largum, & ubi exhalare fumus cœperit, laboratorio exivisse tutius erit. Pernicissimus enim, & quasi mortiferus est hic fumus, ut cautione opus sit, ne quoquo modo artrahatur. Cesante omni fumo ignis per se extinguitur, & crucibulum sponte sua refrigerescat. Deinde eximantur frusta crystalli, & quæ in summitate vel fastigio crucibuli posita fuerunt colore aureo, rubini, balassii, maculisque pulchris; & contra quæ in imo, & prope pulverem posita fuerunt, maximam partem colore serpentis vipe-

ra

ræ tincta erunt, & gemmarum instar rotâ poliuntur, & fulgorem acquirent splendidum: frusta reliqua, substratis pro ratione colorum foliis, auro inclusa, jucundum aspectum præbent: & quia exigue hoc opus impensè, nec fastidiosum est, nihil prohibet, cur non major eorundem quantitas tingatur: semper enim horum fragmentorum aliquot speciosa & pulchra erunt.

## C A P. LXXIV.

Color Balassii, Rubini, Topasii, Opali & Asteriæ, *in crystallo montana.*

**R**ecipe auripigmenti flavo-crocei, nec non arsenici crystallini uncias duas, antimonii crudi & salis armoniaci ana unciam unam. Pulverat & bene mistæ species mittantur in crucibulum satis capax, superimpositis primo segmentis crystalli minoribus, & successive majoribus, omni

mni vitio carentibus, & crucibulum totum impleatur. Applicetur huic crucibulo, crucibulum aliud, & orificium orificio, lutenturque optime, relicto prius in fundo superioris crucibili foramento magnitudine ciceris: atque hoc ideo fit, quia fumus materialium rectâ ascendens, quicquid impositum est in transitu melius tingit, quam si ad latus & oblique per juncturas crucibulorum transiret. Siccato luto crucibula in medios carbones ita mittantur ut crucibulum inferius plane totum, & superioris pars dimidia carbonibus tegatur. Postea ignis adhibetur, sed ensim, & carbones sufflante nullo per accendantur, nisi si plane cessent, quo casu incitandi erunt, ut igne-  
cant. Et carbones quidem majores & quercini sint, procedaturque ut ntea, studiose vitando fumum, ceu interne cinum & vehementer noxiun. Danda tamen est opera, ut carbones accensi exurantur: nisi enim id fiat,  
opus

opus minime procedet. Fumus autem materialium, qui diutius aliquanto durat, per se cesset, nec non ignis sua sponte extinguitur, omnina aura frigidore & vento exclusis: fragmenta enim crystalli calida diffriterentur, & fragilia minimeque bona evaderent. Refrigeratis omnibus, resolutisque crucibulis, pars crystalli major vero Topasii, Balassii, Rubini, Chrysoliti, Asteriae & Opali colore tincta erit, aspectu admirando. Ex his fragmentis, quae melius tincta & colorata erunt gemmariorum rotarum poliantur, & splendorem acquirent, splendori gemmarum naturalium parentem, & fortasse majorem, sine ullo duritiei detimento, quam satis constat in crystallo naturaliter esse magnam. *Antverpiæ* non mediocrem eorundem copiam feci, & erant ex his fragmentis nonnulla Opali & Asteriae colore elegantissime tincta. His lapides varie aptati, & substratis, uniuersales, foliis, auro inclusi, asperguntur.

ctum præbebunt extraordinarium.  
Auripigmentum autem eligendum  
est frondens & aureum : in hoc enim  
totum rei artificium consistit, & ignis  
in principio adhibendus est lentus, o-  
mniaque per se refrigerant; quibus  
servatis, si prima vice non successe-  
rit, repetatur labor, & operando fier,  
ut nunquam fallat experientia.



AN-

ANTONI NERI

Florentini

## DE ARTE VITRARIA,

LIBER V.

*Quo demonstratur verus modus faciendi  
massam Smaragdi, Topasii, Chryso-  
liti, Hyacinthi, Granati, Saphiri,  
Berilli vel Aquæ marinæ, aliorum-  
que colorum: idque tanta venustate  
& elegantia, ut gemmas naturales  
in omnibus, sola duritie exceptâ su-  
perent.*

*Cum novo, & hactenus minus usitato  
modo chymico Isaaci Hollandi, fa-  
ciendi massam supradictam, quæ o-  
mnes alias, quæ nunc quidem in usu  
sunt, venustate & elegantia coloris  
longissime supereret.*

C A P. LXXV.

**S**Maragdos, Topasios, Chrysoli-  
tos, Saphiros, Granatos & omne  
quasi gemmarum genus usque adeo  
perfecte imitari posse, ut colore, splen-  
dore,

dore, elegantiâ & politurâ, solâ duritie exceptâ, veras orientales gemmas superent, res est usque adeo suavis & pulchra, ut paucos esse credam, qui eandem non desiderent, atque omni studio querant. Quare hoc præsenti libro modum ejus rei describo, nec non circumstantias & observationes ad hoc necessarias, ut non similes modo sint naturalibus, sed easdem etiam exceptâ duritie superent. Et vero dubium nullum est, quin solertes in hoc opere & industrii plus effecturi sint, quam ego scribo. Cœterum supra alios omnes admirandus ille modus est, quem ex *Isaaci Hollandio* operæ desumtum, experimento ductus primus comprobavi, quo pastæ gemmarum usque adeo elegantes, pulchræ & perfectæ fiunt, ut fidem fere superent. Verum quidem est, laboris & molestiæ plenum hoc opus esse. Ego tamen, qui id sæpius peregi, facile illud atque expeditum, &, quod caput rei est, solidum esse pronuntio,

G

ut

ut jam levis & nullius momenti la-  
bor & sumtus censeri debeat, qui in  
istiusmodi negotia impenditur.

## C A P. LXXVI.

*Modus præparandi crystallum mon-  
tanam.*

**H**abeas crystallum montanam,  
omnium quam id fieri potest,  
maxime pellucidam & pulchram, se-  
motis Calcedonio, Tarso, aliisque  
lapidibus duris: vitrum enim quod ex  
his talibus fit, minus perspicuum est,  
minusque fulget, quam quod ex cry-  
stallo montana paratur: & lapides  
semper aliquid terreni & obscuri ha-  
bent; cum econtra crystallus aëre  
quiddam & pellucidi habeat, proxi-  
meque ad naturam & qualitatem  
gemmarum accedat; orientalis præ-  
fertim, quæ effectum multo quam  
Italica & Germanica præstantiorem  
præbet. Ad sint ergo vasa vel opera  
crystallo facta, & in crucibulum oper-  
tum:

tum indita, mittantur in medios carbones ardentes, & ignescant, optime que ignita in vas majuscum frigidâ limpidiore plenum projiciantur, idque minimum duodecies repetatur, substitutâ semper recenti frigida, notandoque crucibulum semper debere esse opertum, & ab omni cinere & carbonibus immune: munditiâ enim hic opus est, & industria singulari. Crystallus ea ratione calcinata, siccataque, non alio quam porphyrite lapide, idque ter, cum cura & assiduitate summa, teratur, ita ut tenuissimè farinæ instar sit, & tactum omnem effugiat. In hoc enim totius rei cardo versatur. Nam si in mortario illam teras, æris & ferreum pistilli colorem assumet, nec præter smaragdi speciem quidquam referet. Jam nisi exquisitè admodum super Porphyrite teratur, deformè opus erit, & nihil minus quam naturales gemmas representabit. Summâ ergo hic patientiâ opus, atque exigua semper pul-

G 2 veris

veris quantitas, & quæ dimidii cochlearis modum non excedat, assumenta, & sæpius repetendus ille labor est, ut pulvis fiat longe omnium tenuissimus. Et quia hæc prima omnium artificialium gemmarum materia est, in hoc incumbes, ut tanto majorem hujus bene præparati pulveris copiam habeas, fingendis cujuscunque generis coloribus.

## C A P. LXXVII.

*Modus faciendi Smaragdum orientalem.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut super præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias quatuor. Misceantur optimè hi duo pulveres, ut incorporentur; addanturque æruginis bene tritæ & coloratæ grana 48, nec non croci Martis, aceto, ut supra capite decimo septimo, facti, & cum ærugine permisti grana octo. Misceatur diligentissime omnis hæc materia,

teria, & in crucibulum mittatur,  
quod ferendo igni par, atque illius  
capacitatis sit, ut intromissa omni hac  
materiâ digiti unius spaciū supersit.  
Postea tegatur crucibulum operculo  
fictili & lutetur optime, mittaturque  
in fornacem figularem, stetque cali-  
diore loco per totum illud tempus,  
quo vasa figulina coquuntur: & de-  
inde fracto eo materiam invenies vi-  
tream smaragdi colore pulcherri-  
mam, quæ si operibus magnis gem-  
marum instar inseratur, smaragdum  
de rupe veteri orientalem superabit.  
Quod si pasta hac vice satis excocta,  
& purgata non sit, denuo mittatur in  
fornacem, & purgabitur. Signum  
bonæ coctionis est, si levato non ni-  
hil operculo materia pura & pelluci-  
da appareat: sin minus, lutetur oper-  
culum, omniaque in fornacem re-  
deant. Atque adeo notandum est,  
non ante diffingendum esse crucibu-  
lum, quam constet pastam optime  
coctam & purgatam esse. Etenim si

G 3 rupto

rupto priore crucibulo in aliud transmittatur, utut purgetur, opus tamen deforme & bullis pustulisque plurimis obnoxium reddit. Quod si fornax figulina ad manum non sit, extrui in hunc usum levioris operis fornacula, & per horas 24 adhiberi ignis poterit, appositis pluribus coloris diversi crucibulis. Ligna autem adhibeantur dura, (quale est querignum) & arida; ignis sit perennis & non interruptus: opus enim redderet imperfectum.

Ego *Antverpiæ* istiusmodi fornaculam mihi præparavi, quæ crucibula diversi coloris viginti capiebat, & horis 24 opus totum absolvebatur. Majoris tamen securitatis gratia continuari ignis per alias sex horas, aut diutius aliquanto poterit, & omnia optimè excocta erunt, minusque lignorum absumetur; danda tamen est opera, ut istiusmodi adhibeantur crucibula, quæ ignem ferant. Hæ pastæ gemmarum instar naturalium  
po-

poliuntur, splendorem accipiunt, & substratis solito more foliis auro alligantur, atque hæc dosis pastam solito duriorem reddit.

## C A P. LXXVIII.

Smaragdi *coloris magis pleni.*

**R**Ecipe crystalli montanæ, ut supra tritæ, unciam unam, minii vulgaris uncias sex cum dimidia. Misceantur bene, addanturque æruginis grana 75, nec non croci Martis aceto facti grana decem. Procedatur porro ut supra per totum, & colorem habebis smaragdi orientalis aliquanto magis plenum & admirabilem, qui in parvis operibus auro alligatus, substrato folio, supra quam id dici potest pulcher evadet. Magis tamen quam prior illa pasta excoquenda est, ut omnis consumatur imperfectio, quam ordinariè plumbum producit. Et hæc dosis pastam reddit teneriorem, sed color elegantissimus erit.

G 4

C A P.

## C A P. LXXIX.

*Pastam Smaragdi elegantiorem facere.*

**R**Ecipe crystalli ut supra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias septem. Misceantur, & in singulas hujus misturæ uncias dentur æruginis grana decem, totidemque grana, sed semel tantum, croci Martis aceto facti, ita ut totum hoc compositum efficiat pondus unciarum novem, nec non drachmæ unius, & scrupulorum duorum. Omnibus bene mistis procedatur ut supra *capite septuagesimo septimo*, & smaragdum habebis egregium, satisque speciosum, & ob plenitudinem coloris exiguis operibus aptum, sed propter plumbi copiam minus durum: necessum ergo est ut solito diutius excoquatur, & pallor ille ac pinguedo, quam plumbo naturaliter debet, absumatur; & vitrum erit colore smaragdi orientalis pulcherrimum.

C A P.

## C A P. LXXX.

Smaragdus *alias* pulcherrimus.

**R**Ecipe crystalli montanæ ut su-  
pra præparatæ uncias duas, mi-  
nii ordinarii uncias sex. Misceantur  
optime, & in singulas hujus materiæ  
uncias dentur æruginis bene tritæ gra-  
na decem; Omnibus bene mistis pro-  
cedatur ut supra, & colorem sma-  
ragdi pulcherrimum habebis.

## C A P. LXXXI.

*Topasius orientalis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ, ut su-  
pra tritæ, uncias duas, minii or-  
dinarii uncias septem. Misceantur  
omnia optimè, & in crucibulum mit-  
tantur, igni ferendo par, & in quo  
vacuum relictum sit transversi digiti  
latitudine. Etenim quia hæ pastæ  
dum coquuntur turgent, hinc fit, ut  
replete crucibulo materia vel adhæ-  
reat operculo, & opus deforme red-

G 5 dat,

dat, vel sese proripiat foras, & omnia imperfecta relinquat. Diligentia ergo & spatio opus est. In reliquis eadem ut supra ratione procedatur, & colorem habebis topazii orientalis admirandum, quo facere quodcunque voles poteris.

## C A P. LXXXII.

*Chrysolitus orientalis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut supra factæ uncias duas, minii ordinarii uncias octo. Omnibus optimæ mistis, addantur croci Martis aetate facti grana duodecim: postea mittantur in crucibulum, & procedatur more solito, nisi quod diutius excoquenda est hec massa, idque ob plumbi naturam minus perfectam, & colorem obtinebis Chrysoliti orientalis summe perfectum, qui substrato folio effectum dabit admirandum.

C A P.

## C A P. LXXXIII.

*Color cœlestis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut supra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias quinque. Misceantur optime, addanturque Zafferæ præparatæ & tritæ grana 21, & cum materia permisceantur. Postea mittantur in crucibulum, servatis regulis & observationibus ut supra, & colorem habebis cœlestem formosissimum.

## C A P. LXXXIV.

*Color ex violaceo cœlestis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ, ut supra tritæ, uncias duas, minii ordinarii uncias quatuor cum dimidia. Misceantur, addanturque smalti pictorum cœrulei grana 26, mistisque omnibus, fiat ut supra, & colorem habebis violaceum pulcherrimum, & cœruleum satis elegans.

G 6

C A P.

## C A P. LXXXV.

*Saphirus orientalis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut supra præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias sex. Mistis his pulveribus, addantur Zafferæ præparatæ scrupuli duo, nec non magnesiæ Pedemontanæ præparatæ, & cum Zaffera permistæ grana sex. Omnibus bene unitis pergatur ut supra, & saphirus prodibit orientalis, coloris violacei speciosissimus.

## C A P. LXXXVI.

*Saphirus orientalis colore saturo.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut suo loco dictum est tritæ, uncias duas, minii ordinarii uncias quinque. Addantur Zafferæ præparatæ grana 42, misceanturque cum granis octo magnesiæ Pedemontanæ præparate. Omnia bene mista mittantur in fornacem, percoquantur ut supra, & saphi-

phirum dabunt orientalem magis saturum, & cum insigni pulchritudine violacei quid referentem.

## C A P. LXXXVII.

*Granatus orientalis.*

**R**Ecipe crystalli montanæ ut supra tritæ uncias duas, minii ordinarii uncias sex. Misceantur optimè, addanturque grana sedecim magnesiæ Pedemontanæ præparatæ, & cum granis duobus zafferæ præparatæ permistæ. Mittantur omnia in fornacem, coquanturque more solito, & granatum habebis pulcherrimum & speciosum.

## C A P. LXXXVIII.

*Granatus orientalis magis plenus.*

**R**Ecipe crystalli montanæ præparatæ uncias duas, minii ordinarii uncias quinque cum dimidia. Misceantur, addanturque magnesiæ Pedemontanæ præparatæ, & cum granis duobus zafferæ præparatæ permistæ. Mittantur omnia in fornacem, coquanturque more solito, & granatum habebis pulcherrimum & speciosum.

demontanæ præparatæ grana quindecim, & cum granis quatuor zafferæ præparate permisceantur. Omnibus bene unitis procedatur ut supra, nisi quod plus vacui in crucibulo relinquentum est, cum materia magis turgeat, & colorem habebis granati orientalis ex violaceo pulcherrimum.

## C A P. LXXXIX.

*Alius Granatus pulcher.*

**R**Ecipe crystalli montanæ præparate uncias duas, minii ordinarii uncias quinque, magnesię Pedemontanę præparatę grana 35, & zafferę præparatę cum magnesia permista grana quatuor. Omnia probe mista mittantur in crucibulum, relicto majore quam antea vacuo, cum materia valde turgeat. Lutetur crucibulum, siccatur & in fornacem mittatur, procedaturque ut supra, & colorem habebis granati orientalis supra reliquos speciosum.

C A P.

## C A P. XC.

*Monita, pastas earumque colores con-  
cernentia.*

**N**Otetur, colores in his pastis magis vel minus plenos fieri, prout cuique placuerit, vel operis ratio exigere videbitur. Etenim annuli minores colorem saturum, majores magis dilutum, inaures & monilia plenum requirunt, totumque hoc negotium ab ingenio laborantis dependet, neque certis regulis circumscribi potest; & si quæ hic regulæ à me præscriptæ sunt, eę huc tantum faciunt, ut curiosi artificis ingenio viam comonstrent inveniendi meliora. Et colorum quidem præterquam æruginis, zafferæ & magnesiæ hic nulla mentio fit. Curiosus tamen & ingenuus quisque ex auro colorem rubrum admirandum, ex ferro rubrum elegantem alium, ex ære viridem pulcherrimum, ex plumbō aureum, ex argento cæruleum, ex granato Bohemico

mico aëreum pulcherrimum extrahe-  
re poterit. Hi enim granati, quia mi-  
nores sunt, exiguo veneunt, & tin-  
& turam præbent maxime insignem, id  
quod ego in *Flandria* sæpius expertus  
sum. Idemque de rubino, saphiro a-  
liisque gemmis judicium esto, ut sub-  
acti in operationibus chymicis no-  
runt: quæ omnia si hic perspicuè, ut  
antecedentia describere vellem, diffu-  
si operis materia esset & alioqui præ-  
dicti colores sufficiunt parandis ope-  
ribus jucundis. Redeo autem ad il-  
lud, quod in hoc negotio essentialie &  
præcipuum est, ne videlicet crucibu-  
la, antea quam materia probè cocta &  
purgata sit, frangantur. Etenim si pa-  
stæ ex uno in aliud crucibulum trans-  
mittantur, ob reliquias adhærentis  
crucibili plenum spurcitiei, scabro-  
sum & prorsus inutile opus erit. Qua-  
re si pastæ satis excoctæ non sint, neu-  
tiquam diffringendum, sed luto in-  
ducendum, & in fornacem denuo  
mittendum est crucibulum, & pastæ

ea

ea ratione purgatæ, cuicunque operi  
aptæ erunt.

## C A P. XCI.

*Admiranda & hactenus minus usitata  
ratio, faciendi pastas supradictas,  
atque imitandi omne genus gemma-  
rum.*

**H**ic modus imitandi gemmas, quem ab *Isaaco Hollando*, cum in Flandria essem mutuatus sum, quod ego sciam, minime usitatus, & paucis fortasse notus, utut laboriosus, eorum tamen, qui alibi hactenus in usu sunt, aut certe ad notitiam meam pervenerunt, pulcherrimus & elegansissimus est. Quare usque adeo perspicue, & adjectis tot circumstan- tiis monitisque illum demonstrabo, ut exercitatus quisque in arte Chymica eundem facilime capere, & perficere opus possit.

Cerussam tenuiter tritam in am-  
pullam capacem vitream mitte, eique  
tan-

tantum aceti distillati affunde, ut pal-  
mi altitudine tegatur; notando ace-  
tum in principio vehementer effer-  
vescere, lente ergo & sensim agen-  
dum, & spatium furori dandum est.  
Deinde ampulla mittatur in cineres  
fornacis calidæ, ut octava pars aceti  
evaporet, removeaturque ignis, &  
refrigescente ampulla, quod reli-  
quum est aceti leniter decantetur. Et  
acetum quidem illud bene colora-  
tum & sale grave erit ideoque in vase  
vitreo seponatur. Affundatur cerus-  
sæ acetum novum, evaporetque &  
decantetur ut antea, idque tam diu  
repetatur, donec acetum coloris &  
dulcedinis nihil secum ferat, id quod  
sexta frequenter vice succedere solet.  
Filtretur tunc omne acetum colora-  
tum cum cura, filtratumque in am-  
pulla vitrea plane exhalet, & in fun-  
do sal plumbi candidum remanebit,  
quod in ampulla lutata & arena for-  
nacis satis calidæ per 24 horas ita de-  
tineatur, ut ampulla tota ab arena  
tega-

tegatur, solo eminente collo, eoque aperto. Postea eximatur ampulla, & sal teratur, ac siquidem cinnabaris instar rubrum sit, bene est: sin flavescente videbitur, in ampulla vitrea per alias viginti quatuor horas ignem experiatur satis calidum, ita tamen ut non liquefiat, (frustraneus enim omnis labor esset) & cinnabaris instar rubrum evadet. Hoc ea ratione calcinatum plumbum rubrum in ampullam vitream mittatur, & affuso ut antea aceto distillato, procedatur ut supra, usque dum sal omne extractum, & feces vel omnes vel maximum partem separatæ sint. Acetum hoc coloratum omne in ollis vitriatis per sex dies asserva, ut particulæ terrestres, & impura quæque sidant, quo tempore exacto filtretur, semotis quæ in fundo sunt inutilibus particulis. Deinde acetum hoc bene filtratum & ab omnibus particulis terrestribus separatum in ampulla operata detineatur, & in fundo ejusdem

sal

sal remanebit Saturni candidissimum,  
& sacchari instar dulce, quod bene  
siccatum aqua communi solvatur, &  
solutum per sex dies in ollis asserve-  
tur, ut quicquid supereft materię ter-  
restris, in fundo vasis remaneat. Fil-  
tretur tunc aqua sale gravis, & à reli-  
quiis terrestribus separata, in ampulla  
vitrea evaporet, remanebitque in fun-  
do sal, nivis instar candidissimum, nec  
minus quam saccharum dulce. Re-  
petatur hæc solutio per aquam com-  
munem, nec non filtratio & evapo-  
ratio ter, & saccharum habebis Sa-  
turni, quod in ampulla vitrea & are-  
na fornacis per dies plusculos igne  
temperato calcinatum, colorem con-  
trahet, magis quam cinnabaris rubi-  
cundum, & calcem reddet quavis fa-  
rina cribrata tenerorem, & quæ ta-  
ctum effugiat. Atque hanc calcem  
verum Saturni, & ab omni sorde, ni-  
gredine, & materia terrestri purifi-  
catum sulphur vocant. Quod si jam  
**Smaragdi, Saphiri, Granati, Topasii,**

Ch:y-

Chrysoliti pastas & cæruleum alium-  
ve colorem facere animus est, reci-  
piantur eadem ut supra materiæ, co-  
lores & doses, minio tantum excepto,  
cujus vices in eadem dosi supplebit  
hoc Saturni sulphur, & in reliquis  
**exactissimè** procedatur ut supra, &  
gemmas habebis diversi coloris mire  
elegantes, & quæ alias omnes me-  
diante minio factas longissimè supe-  
rabunt. Etenim hoc verum sulphur  
Saturni alia omnia, pluribus quam  
ego scribo parasangis antecedit, id  
quod Antverpiæ sèpius deprehendi.  
Pastæ hoc sulphure factæ, pingue il-  
lud atque flavum non habent, quod  
reliquis ordinariè adhæret, & quo  
successu temporis fœdantur: ne chu-  
more aut halitu humano maculas ut  
aliæ contrahunt. Quare neminem  
pœniteat illius laboris, qui opere ipso  
& successu pensatur.

C A P.

## C A P. XCII.

*Modus faciendi pastas cuiuscunque coloris durissimas.*

R Ecipere crystalli montanę, ut supra calcinatæ, & tritæ, libras decem, salis pulveris orientalis ut supra *capite tertio* optime purificati libras sex. Hoc sal probè siccatum, porphyrite tritum, & bene cribratum admisceatur crystallo supradictæ. Deinde adantur sulphuris saturni chymicè fæti libræ duæ, atque hi tres pulveres in olla vitriata & pura optimè permisceantur, & adjectâ modicè aquâ communi & limpida ita impastentur, ut massa fiat duriuscula, ex qua postea placentulæ fiant trium unciarum pondere, & circa medietatem perforatæ, ut siccari in sole possint. Deinde mittantur in fornacem figuralem, & ibidem in summitate fornacis calcinatæ, tundantur, terantur porphyrite & cibrentur. Quibus peractis in ollam & fornacem vitrariam transeant, & per triduum purgentur: purgatæ in

in aquam trajicientur, siccatae in ignem redeant, & per dies quindecim optime purgentur, ut bullis & pustulis, omnique scabritie careant, & massa remaneat gemmarum naturallum instar purissima. Et hoc quidem vitri purissimi genus vario colore tingi potest, videlicet scoriâ ter calcinatâ smaragdi, nec non aquæ marinæ; zafferâ topasii; eademque zafferâ & magnesiâ, ut vitrum ordinarium, saphiri colore, adhibendo tincturam, ubi vitrum purgatum fuerit. Eadem industriâ color flavus tartaro & magnesiâ, nec non color granati magnesiâ & zafferâ per intervalla adhibitis, ut in vitro ordinario producitur. Et revera omnes in universum gemmas, coloresque omnes hac pasta vitri purissima durissimaque imitari licebit, & splendorem obtinebunt mire lucidum, atque adeo ipsam etiam naturalium duritiem æmulabuntur; smaragdus præsertim, qui ex hac massa conficitur pulcherrimus, & duricie naturali fere par.

AN-

ANTONI NERI  
Florentini  
DE ARTE VITRARIA,

L I B E R V I .

*Quo demonstratur verus modus facien-  
di omne genus encaustorum , quo au-  
rifices auro varios colores inurunt ; u-  
na cum regulis & ingredientibus, qui-  
bus utuntur : nec non modis admini-  
strandi ignem , ut encausta illa , vel  
ut vulgo vocantur smalta accuratis-  
sime fiant, additis demonstrationibus  
pro negotii natura satis evidentibus.*

*Hoc sexto libro demonstratur modus fa-  
ciendi encausta varii coloris , in usus  
aurificum, quibus aurum aliaque me-  
talla inurunt: res jucunda & elegans,  
nec minus laboriosa quam necessaria,  
quandoquidem metalla tot encausto-  
rum coloribus ornata aspectum præ-  
bent jucundum & insignem, allicien-  
do supra modum intuentium oculos.  
Et quia hæc ars una ex artis vitra-  
riæ*

riæ præcipuis partibus & necessaria  
est, omnibusque hoc gratum fore pu-  
tavi, in eo totus fui, ut plures modos  
faciendi varia encausta, vel ut vulgo  
vocantur smalta, describerem, cuius  
rei notitia, quemadmodum per se vi-  
trariam spectat, & ab illa tota de-  
pendet, ita minime vulgaris, & inter  
penitiora illius artis secreta est. Quare  
ne opus hoc tam pulchra, utili & ne-  
cessaria materiâ destitueretur, præ-  
sentem hunc sextum librum omnium  
usibus & commodis dicatum volui.

## C A P. X C I I I.

*Materia ex qua smalta omnia fiunt.*

**R**Ecipe exempli gratia plumbi o-  
ptimi libras triginta, & stanni  
optimi libras triginta tres. Hæc me-  
talla, ut de plumbō suo loco dictum  
est, simul calcinentur, & calcinata  
cribrentur. Calx bulliat in aqua lim-  
pida & vase vel olla pura. Ubi pa-  
rum bullierit, auferatur ab igne, &  
inclinando ollam aqua effundatur,

H q'ę

quę calcem subtilissimam secum feret. Residuo calcis affundatur aqua recens, bulliatque & decantetur ut supra, idque tantisper repetatur, donec aqua nihil calcis secum ferat, & quicquid crassioris metalli in fundo residuebit, calcinare denuo, & partem ejus subtilissimam ebullitione in aqua communi, ut antea, extrahere licebit. Evaporet jam omnis aqua, quę calcem tulit subtilissimam, idque ad lentum ignem, in fine præsertim, ne calx vitietur, quę in fundo residet, & tenuitate calcem ordinariam superat. Postea recipe hujus calcis subtilissimæ, nec non fritte tarso candido præparatæ, atque optimè tritæ, & per cribrum angustum transmissæ ana libras quinquaginta, & albi salis tartari, de quo supra, uncias octo. Omnia optime trita, mixta cibrataque mittantur in ollam, ex terra cocta novam, admovendo ignem per horas decem, quibus exactis auferantur ab igne, & bene pulverata loco sicco & à pul-

pulvere immuni serventur: hæc enim illa materia est, ex qua varii coloris smalta fiunt.

## C A P. XCIV.

Encaustum *lactis instar* album.

**R**Ecipe hujus materiæ, exempli gratia, libras sex, magnesiæ Pendemontanæ præparatæ grana quadraginta octo, totumque hoc compostum mitte in ollam vitro albo obductam. Deinde liquefacit & purgetur in fornace, igne lucido, & lignis quernis, sine fumo, id quod brevi absolvitur. Ubi soluta & liquata fuerit hæc materia, in aquam limpidam projiciatur, ac denuo in ollam redeat, solvatur, purgetur & in aquam projiciatur, ut antea, idque tertio fiat; ac tum demum, ubi quarto soluta & bene purgata fuerit experimentum capiatur, sitne, ut esse solet albissima, ac si virescere videbitur, nonnihil magnesiæ, ut supra, addatur, & *lactis*

H 2      *instar*

instar alba, nec non auro metallisque  
pingendis aptissima erit.

## C A P. C X V.

*Smaltum quod turcoidis colorem refert.*

**R**ecipe materię, ex qua encausta  
fiunt, libras sex, mittantur in  
ollam vitriatam vitro albo, fundan-  
tur, purgentur, & in aquam proji-  
ciantur, ac denuo in ollam redeant,  
& cum bene purgatę fuerint, addan-  
tur uncię tres scorię æris, ter, ut suo  
loco dictum est, calcinatę, nec non  
zafferę præparatę grana nonaginta  
sex, & magnesię præparatę grana 48.  
Miscentur bene hi duo pulveres, &  
in quatuor partes divisi, quatuor di-  
stinctis vicibus addantur, optimè  
omnia miscendo, ut pulvis bene in-  
corporetur. Quod si periculo facto  
color satis plenus videbitur, aurifici-  
bus eundem exhibebis, atque id ages,  
ut ex resegmine massę de quibuscum-  
que coloribus oculo judicium ferre  
pos-

possis, id quod ego semper feci: neque enim hic certa dosis præscribi potest, cum colores modo plus, modo minus tingant. Oculo itaque di-judicandi sunt colores, & si nimii fuerint, plus materiæ, unde smalta fiunt, addendum est: statim enim sol-vetur, & color reddetur magis dilutus: & contra si dilutiores fuerint, plus pulveris, quo tingantur, adden-dum est, atque ita colore vel minus vel magis plenum reddes, prout exi-gere natura negotii videbitur, id quod ego Pisis semper feci, & oculi judi-cium secutus sum, nullo adhibito cer-to pondere aut mensura.

## C A P C X VI.

*Aliud encaustum cœruleum.*

**R**Ecipe materiæ smalторum libras quatuor, zafferæ præparatæ uncias duas, scoriæ æris ter calcinatæ grana 48. Misceantur primò optimè pulveres inter se, & postea quam id

H 3 fieri

fieri maxime potest cum materia, mittanturque in ollam vitro albo inductam, & consequenter in fornacem. Ubi jam omnia soluta & unita fuerint, projiciantur in aquam, redeantque in ollam, coquantur, & uniantur optime, eoque peracto eximantur ex fornace, & smaltum dabunt pro aurificibus satis speciosum.

## C A P. XC VII.

*Smaltum viride.*

**I**N ollam vitro albo, ut moris est inductam, atque in fornacem mittantur materię smalorum supradictæ quatuor libræ, & horis decem vel duodecim optimè solventur & purgabuntur. Projiciantur in aquam, redeantque in ollam, & purgentur optime. Ubi bene purgata fuerit hæc materia, addantur scoriæ æris, ter, ut suo loco dictum est, calcinatæ, unciaæ duæ, nec non scoriæ ferri bene tritæ grana 48. Addantur autem hi pulveres,

res, antea bene misti, sensim, & tribus viciis, bene semper miscendo materiam, ut colorem imbibat, observandoque an color respondeat: & siquidem ex voto sit, purgari omnia & bene uniri permittantur. Deinde, ut moris est, eximantur ex fornace, & smaltum erit viride, pro aurificibus pulchrum.

## C A P. XC VIII.

*Aliud encaustum viride.*

**R**Ecipe materię ex qua smalta fiunt libras sex, eique quam id fieri accuratissime potest admisce ferretti Hispanici optime triti uncias duas, nec non croci Martis cum ferretto permisti grana 48. Omnia bene unita & permista mittantur in ollam vitro albo inductam, & ubi optime purgata fuerint, trajificantur in aquam, redeantque in ollam ut purgentur, videaturque an color ex voto sit, quo animadverso, purgari permittatur,

H 4. ex-

extrahaturque more solito. Et hæc quidem smalta omnia quatuor, vel sex, aut circiter unciarum pondere parantur.

## C A P. C X I X.

*Smaltum aliud viride.*

**M**ateriæ smalorum libras quatuor in ollam vitriatam mitte, & paucis horis purgabuntur. Purgatae trajiciantur in aquam, redeantque in ollam & purgentur. Deinde per tria intervalla pars sequentis permixti pulveris tertia addatur. Recipe scoriae æris ter calcinatae uncias duas, & croci Martis aceto preparati grana 48. Pulverata addantur materiæ, ubi jam soluta & purgata fuerit, omnia bene miscendo & incorporando, & ubi color placuerit, purgetur & eximatur, ut moris est.

C A P.

## C A P. C.

*Encaustum nigrum.*

**R**Ecipe materiæ, ex qua smalta fiunt, libras quatuor, nec non zafferè præparatę & magnesię Pedemontanę ana uncias duas. Hi pulveres optimè misti uniantur cum supradicta materia, mittanturque in ollam vitriatam & purgentur. Et quia flatulenta admodum est hæc materia, olla adhibetur aliquanto major, ad prohibendam ebullitionem. Ubi purgata fuerint omnia, trajiciantur in aquam, redeantque in ollam, & statim purgabuntur. Videatur an color satisfaciat, & prout ex usu videbitur, satur magis vel magis dilutus reddatur, & ubi voto responderit, in placentas orbiculares, ut reliqua encausta cogatur, & encaustum erit holoserico nigrum pro aurificibus satis pulchrum.

H 5 C A P.

## C A P. C I.

*Aliud encaustum nigrum.*

**R**Ecipe materiæ smalторum supradictæ libras sex, zafferæ præparatæ, nec non croci Martis aceto facti, & ferretti Hispanici ana uncias duas. Hi pulveres bene subacti & uniti miscantur optime cum supradicta materia, mittanturque in ollam vitriatam & fornacem more solito. Ubique in ollam & brevi purgabuntur. Videatur an color respondeat, cogaturque massa in placentam more solito, si tamen antea bene purgata fuerit, & colorem imbiberit, & nigrum erit pulchrum, quo aurifices metalli inurunt.

## C A P. C II.

*Aliud encaustum nigrum.*

**R**Ecipe materiæ smalторum supradictæ libras quatuor, tartari rubri uncias

uncias quatuor, magnesiæ Pedemontanæ præparatæ uncias duas. Hi pulveres bene subacti mistique permisceantur cum supradicta materia, mittanturque in ollam vitriatam aliquanto majorem, ut spatium vacuum supersit: intumescit enim valde hæc materia. Deinde fusa unitaque omnia trajicientur in aquam, mittanturque denuo in ollam & purgentur, advertendo utrum color placeat, quo respondente in placentas ut moris est cogantur, & nigrum erit holoserici instar elegantissimum.

C A P. C III.

*Smaltum purpureum.*

**I**N libras materiæ smalторum qua-  
tuor, dentur magnesiæ Pedemon-  
tanæ optime præparatæ unciaæ duæ,  
mittanturque in fornacem in olla  
more solito vitriata grandiuscula, ut  
vacuum relinquatur: bulliet enim &  
intumescet valde hæc materia. Ubi  
H 6. jam

## H 6                  jam

jam soluta & unita fuerint omnia,  
trajificantur in aquam, redeantque in  
ollam & purgentur. Deinde videa-  
tur an ex voto color sit, & siquidem  
talis fuerit, cogatur more solito, &  
color purpureus erit satis elegans, ita  
tamen ut dum in olla est, pro negotii  
natura vel saturetur magis, vel magis  
diluatur.

## C A P. C I V.

*Smaltum aliud purpureum.*

**H**abeas materiæ ex qua encausta-  
fiunt libras sex: magnesiæ Pe-  
demontanæ præparatæ uncias tres &  
scoriæ æris caldarii, ter calcinatæ un-  
cias sex. Hi pulveres bene uniti per-  
misceantur cum materia supradicta,  
mittanturque in fornacem more so-  
lito & purgentur optime. Postea tra-  
jificantur in aquam, redeantque in ol-  
lam & purgentur, videaturque an co-  
lor respondeat, ut saturare vel dilue-  
re eundem possis, & siquidem debite

præ-

præparatus fuerit, eximatur & procedatur more solito.

## C A P. C V.

*Encaustum flavum.*

**R**Ecipe materiæ smalторum libras sex, tartari uncias tres, & magnesiæ præparatæ grana 72. Pulveres bene subacti unitique misceantur cum supradieta materia, quam id fieri potest optime, mistaque omnia in fornacem, & ollam vitro albo inductam, & aliquanto majorem mittantur: valde enim intumescere solent. Ubi omnia bene purgata fuerint, trajiciantur in aquam, redeantque in ollam & purgentur, observando utrum color placeat, nec ne, ut intendere illum vel diluere si opus sit possis, & encaustum erit flavum, pingendis metallis aptissimum, excepto auro, quo splendor illius obscuratur, nisi superinductis coloribus aliis, quod aurificibus in usu est, adjuvetur.

C A P.

## C A P. C V I.

*Smaltum Cœruleum.*

UT cœruleum & picę marinę co-  
loreū efficias, in promptu sint  
uncię duę bracteolarum æris, ut su-  
pradicatum est, calcinatarum, & zaffe-  
rę præparatę grana quadraginta octo.  
Hi pulveres bene misti redigantur in  
unum corpus, cum libris quatuor  
materię, ex qua encausta fiunt, & u-  
niti trajificantur in aquam more soli-  
to, redeantque in ollam & purgentur.  
Unitis & purgatis bene omnibus vi-  
deatur an color respondeat, ut, sicut  
alias dictum est, vel intendere illum  
vel diluere, si ex usu sit, possis, & si  
quidem probus fuerit, procedatur ut  
artis est.

C A P.

## C A P. C V I I.

*Encaustum violaceum.*

UT smaltum facias violaceum omnibus numeris absolutum, ad-  
sint libræ sex illius materiæ, ex qua encausta omnia fiunt, nec non ma-  
gnesiæ Pedemontanæ præparatæ un-  
ciæ duæ, & scoriæ æris ter calcinatæ  
grana 48. Pulveres bene misti per-  
misceantur cum supradicta materia,  
& more solito mittantur in forna-  
cem, projiciantur in aquam, & de-  
nuo purgentur, vocatoque in ex-  
amen colore, si neque minuere illum  
nec augere necesse sit, procedatur  
more solito, & encaustum erit pul-  
chrum & aurificibus utile.

A'N.

ANTONI NERI

Florentini

## DE ARTE VITRARIA,

LIBER VII.

*Quo modus demonstratur extrahendi laccam flavam ex floribus genistæ in usus pictorum: nec non modus aliis extrahendi laccam rubram, viridem, cœruleam, purpuream. omnemque alium colorem ex quibusunque floribus & herbis.*

*Modus item faciendi cœruleum Germanicum & ultramarinum: nec non modus extrahendi laccam ex cocco, ligno Brasiliensi, & rubia tintorum, cum modo colorandi turcoidem decolorare. Alius item modus faciendi colorem rubrum transparentem, nec non smaltum roseum pro auro aliisque metallis: res non vulgares minimeque communes.*

*Hoc præsenti & ultimo libro demonstrandum extrahendi omne genus colo-*

TUTTI

rum ex floribus & herbis in usus pictorum, qui quidem colores etiam tingendis vitris inservire poterunt. Modum item extrahendi laccam ex multis coloribus, nec non modum extrahendi colorem ultramarinum ex lapis lazuli, quæ omnia quidem in usus pictorum cedunt, sed ita ut etiam arti vitrariæ inservire possint; idque tam in superficie quam in igne fornacis. Præterea demonstro modum faciendi colorem rubrum transparentem in vitro, qui hodie ceu res minus utilis in oblivionem venisse videtur: modum item faciendi encaustum rubrum colorando & pingendo auro, quæ omnia ad artem vitrariam pertinent, & hodie in occulto latent ac paucis nota sunt; præter multas alias res, quas huic operi deberi, & curiosis nobilibusque ingeniiis grata fore putavi.

CAP.

## C A P. C V I I I .

Lacca flava ex floribus genistæ pro pietoribus.

EX soda vitrariorum & calce lixivium facies mediocriter potens, & in hoc lixivio ad lentum ignem recentes genistæ flores ita coque, ut lixivium omnem florum tinturam attrahat, id quod cognosces si flores extracti albantes & decolores, & contra lixivium instar elegantis Trebiani flavum sit. Exemit tunc floribus lixivium in vasis fictilibus vitritis foco ad bulliendum admove, ei que tantum aluminis roccæ superaddito, quantum dissolvi ab igne poterit. Deinde ablatum ab igne lixivium in vas aquâ limpidâ instructum effunde, & color flavus fundum peter; quia factò, quiescat aqua, decanteturque atque alia recens affundatur, & ubi tintura resederit, decantetur, idque tantisper fiat, donec sal lixivii & alumen omne à tintura ablatum sit: nō tandem

tando tanto magis pulchrum & elegantem fore colorem, quanto tinturam à sale lixivii & alumine aquâ magis purgaveris. Aquam autem intelligo communem, cuius beneficio sal lixivii & alumen aufertur: subinde autem, antea quâ decantetur aqua, subsidere tintura permittatur, idque tam diu repetatur, donec aqua sine omni salfedine & non mutata exeat: id enim ablati salis & aluminis signum est, & lacca in fundo remanebit elegans atque pura, quam aquâ bene decantatâ super segmentis lini candidi extendes, & lateribus recens coctis in umbra siccabis, & laccam habebis flavam, quæ pictoribus simul & vitrariis inservire poterit.

## C A P. CIX.

*Extrahere laccam ex papavere, iride,  
rofis & violis rubris, omnique genere  
herbarum virentium.*

**R**Ecipe florum vel herbarum unius ejusdemque coloris quam

VO-

volueris quantitatem , & eadem , ut  
*capite centesimo octavo* dictum est ra-  
tione procede , & laccam vel colorem  
habebis & tinturam cuiuscunque  
floris vel herbæ pro pictoribus pul-  
chram , & jure magni faciendam .

## C A P. CX.

*Extrahere laccam & colorem ad pin-  
gendum ex floribus aurantiis , papa-  
vere erratico , iride , violis ordinariis ,  
violis rubris , rosis incarnatis , & ru-  
bris , floribus borraginis , brassicæ ,  
gladioli , & quibuscunque aliis : nec  
non colorem viridem ex malva , pim-  
pinella , omnibusque aliis herbis .*

**R**Ecipe cuiuscunque generis &  
coloris florem vel herbam , que  
recens trita chartam colore suo infi-  
ciat : si qua enim hunc effectum non  
præstat , huic operi apta non est . Mit-  
tatur in ampullam vitream aquæ vitæ  
ordinarie , & in protuberantiam capi-  
telli , quæ latissima esse debet , mit-  
tan-

tantur folia florum vel herbarum, ex quibus elicere tinturam & extra-here colorem cupis. Aptato postea recipiente & capitello, lutentur juncture, ignisque adhibetur temperatus, & pars aquę vitę maxime subtilis ascendens in capitellum, primo in protuberantiam ejusdem super florum & herbarum folia, & porro extractā eorundem tinturā in recipiens decidet. Hæc pars aquę vitę tenuior in vase vitro denuo distillata, peregrini coloris expers transfibit, iisdemque ut antea usibus inservire poterit, remanente in fundo tintura, quam modice siccabis, & laccam habebis ex omni genere florum & herbarum pro pictoribus optimam.

## C A P. C X I.

Cœruleum *instar Germanici.*

**R**ecipe argenti vivi partes duas, florum sulphuris partes tres, & salis armoniaci octo. Omnia super por-

porphyrite trita, cum argento vivo  
in ampullam vitream longioris colli  
& in fundo lutatam mitte, usque i-  
gnem arenę lentum admove, usque  
dum omnis abscesserit humiditas, quo  
facto claudatur orificium vitri, au-  
geaturque ignis, ut in sublimationi-  
bus fieri solet, continueturque ad fi-  
nem usque, & cœruleum habebis satis  
elegans & pulchrum.

---

C A P. C X I I .

*Modus quo turcoidi naturali nativus  
suis color deperditus resti-  
tuitur.*

**T**Urcoides subalbi & decolorē  
mittantur in ampullam vitream,  
adjecto oleo amygdalarum dulcium,  
detineanturque in cinere temperato  
& tepido, & bidui spatio colorem ac-  
quirent pulcherrimum.

C A P.

## C A P. C X I I .

*Mistura pro speculis.*

**R**Ecipe stanni bene purgati libras tres, æris purgati libram unam; fundatur primo æs, & postea stanum, optimeque fusis & liquatis illis, addantur tartari rubri tantummodo usti unciae sex, salis nitri uncia una cum dimidia, aluminis drachmæ due, nec non Arsenici unciae duæ. Sine omnia evaporare, & in typos speculorum mitte, & materiam habebis speculorum optimam, quæ ubi polituram recepit figuræ exactè reddet; atque hæc illa mistura est quam chalybeam vocant.

## C A P. C X I V .

*Modus tingendi interiorem sphærarum, aliorumque ex vitro albo vasorum superficiem omni genere colorum, ita ut lapides pretiosos naturales referant.*

**P**Illam seu sphæram, vel aliud ex vitro albo & candido vas concavum,

vum, vario genere colorum inductus, recipe glutinis piscium, bidui spatio in aqua communi macerati, & tenuissimi quantitatem debitam, eamque in ollula & aqua limpida tantisper coque, dum optime dissolvatur. Hoc decoctum ablatum ab igne & jam tepidum in sphæram vel vas vitreum aliud infunde, & circumacto vase cura, ut tota vitri interior superficies à glutine humectetur & madefiat, quo facto quicquid supereft humoris effundatur. Inde ad manum sint colores pulverati, & primo quidem minium, quod flatu per tubulum ex arundine ita injicies, ut flatus repræsentet, & ubi vitrum hinc inde minio tintum fuerit, beneficio illius tubuli idem smalto cœruleo, & postea ærugine, nec non auripigmento, & tandem laccâ, omnibus probe tritis undulatim & diversis in locis ita facies, ut mediante glutine, quo vitrum humectatum est, hi pulveres vitro adhærent. Atque eadem plane ratio-

ratione cum reliquis in universum coloribus procedes. Postea gypsum recipe bene pulveratum, idque in sufficiente copia in sphæram vel vitrum mitte, confestim circumagendo, & siquidem statim atque dum recens est gluten id feceris, gypsum ubique & per totum adhærebit; quo factō, quicquid ejusdem superaverit, aufer, & exterior vitri superficies jucundissimo aspectu variis coloribus tincta, & ludentis in duro lapide naturæ hoc opus esse videbitur, siccatoque bene glutine colores illi vitro usque adeo firmiter adhærebunt, ut resolvi postea nunquam possint, & semper pulcherrimi appareant. Hæ sphæræ pedi applicantur ligneo, vel ex alia qualicunque materia, picto, & decoris atque ornamenti causa in tablina vel pluteos jucundo admodum aspectu reponuntur.

I C A P.

## C A P . C X V .

*Color Cyaneus vel ultramarinus.*

**R**Ecipe fragmenta lapidis lazuli, benè, & cœruleo colore tincta, quæ *Veneris* copiosè & exiguo pretio veneunt, eaque in crucibulo & igne carbonum calcinata, ignitaque in frigidam, bis repetito opere projice, & super porphyrite lapide in pulverem, farinæ cribratæ instar tenuissimum & impalpabilem tere. Postea recipe resinae pini, picis nigræ, mastichis, ceræ novæ, terebinthinæ ana uncias tres, olei lini, thuris ana unciam unam. Dissolvantur omnia ad lentum ignem in vase terreo, agitenturque bacillo, ut optimè coëant, & bene incorporata in frigidam projiciantur, serventurque in usum. His peractis in singulas lapidis lazuli, ut supra triti, libras recipe uncias decem massæ, ex supra dictis speciebus compositæ, iisdemque in ollula ad lentum ignem resolutis sensim pulverem lapidis lazuli

zulia sperge, & virgula ut incorpore-  
tur benè subige. Incorporatis benè  
omnibus quicquid est materiæ subito  
in vas frigidâ plenum projicies, uni-  
ctisque oleo lini manibus, pastillos  
unum vel plures pro ratione materiæ  
oblongos, & rotundos forma, for-  
matosque in frigida per dies quinde-  
cim detine, mutando aquam de bi-  
duo in biduum. His pastillis, in ca-  
tillo terreo, bene vitriato & puro,  
sepositis, affundatur calida, in calda-  
rio seorsim cocta & limpida, eâque  
refrigescente substituatur in locum  
ejus calida recens alia, idque tantisper  
continuetur, dum pastilli aquæ ca-  
lore dissovantur, quo animadverso  
addatur recens calida, & videbis a-  
quam infici colore cyaneo. Decan-  
tetur aqua in ollam vitriatam & pu-  
ram, & pastillis affundatur calida re-  
cens, eâque colore infecta decante-  
tur ut antea, transfatque per cibrum  
angustum, idque tandiu repetatur,  
donec aqua colore nullo inficiatur.

I 2 Ad-

Advertendum tamen est, ne aqua nimis calida, sed tepida tantum sit: nimio enim calore nigredinem contrahit hic color: probè ergo hoc observandum est, plurimum enim refert. Hæ aquæ coloratæ & per cribrum in ollam transmissæ, pinguedinem quan-dam in superficie habent, quare per horas 24 quiescant, & color omnis fundum petet. Decantetur tunc aqua, & pinguedo lentè, affusâque recenti limpidâ color per cribrum angustum in ollam vitriatam & puram transeat, agiteturque frequenter, & magna pars spurcitie & pinguedinis in cribrello permanebit, idque ter, adjectâ semper recenti aquâ, repetatur, & cribrum toties ab omni immunditia purgetur. Color in ollis servetur vitriatis, sensim decantando aquam: per se enim siccescit, & ultramarinum habebis pulcherimum, quale ego *Antverpiæ* sæpius feci. Cæterum major vel minor massæ supradictæ quantitas in singulas lapidis libras

libras danda est, prout lapis plus minusve coloris continet, & color pulchrior fuerit. Optime autem atque ita terendus est lapis, ut tactum effugiat, & color optimus erit. Si smallatum cæruleum ordinarium eadem ratione triveris, & massæ gumminæ incorporaveris, nec non per dies quindecim cum lapide lazuli in digestione detinueris, & porro ut de lapide lazuli dictum est operatus fueris, materiam habebis elegantem satis & speciosam, quæ ultramarinum mentietur. Atque hic color non pictoribus modo, sed tingendis etiam vitris inservit.

## C A P. C X V I.

*Lacca coccinea pro pictoribus.*

**R**Ecipe libram unam tomenti albi tenuioris, eamque per diem integrum in frigida detine, exemptamque bene exprime, ut unguinosum illud quod tondendo recipit dematur,

I 3 tur,

tur, & postea alumine illam infice, eo qui sequitur modo. Recipe aluminis roccæ uncias quatuor, tartari crudi pulverati & in cacabum parvum cum quatuor mensuris aquæ missi uncias duas; ubi bullire aqua cœperit, tomentum injice, idque per dimidium horæ spatum ad lentum ignem coque, & ablatum postea ab igne per horas sex refrigerare permitte. Exemptum deinde tomentum aqua limpida lavabis, & ubi per bihorium steterit exprimes & siccari permittes.

## C A P. C XVII.

*Magisterium quo cocci color extrabitur.*

**R**Ecipe mensuras frigidę quatuor, furfurum frumenti libras quatuor, pyrethri orientalis & sceni Græci ana drachmas duas, omnibus in cacabum missis admoveatur ignis, donec aqua tepefiat, & manus ferre calorem ejusdem possit. Inde aqua aufera-

feratur ab igne & cacabus panno tegatur, ut calorem quam diutissime servet, quiescendo per horas 24, quibus exactis lixivium decantetur in usus infrascriptos.

Recipe ollulam puram, in eandemque mitte mensuras tres frigidæ, & unam magisterii, & ubi jam bullire cœperit, adde grana Kermes, hac ratione contusa. In Mortario æneo, contunde unciam unam granorum Kermes, eamque bene contusam per cribrum toties transmitte, ut tota transeat. Postremo recipe aliquantum tartari crudi, idque in mortario illo tunde, & tartarum omnem fundo mortarii & pistillo adhærentem tinturam in se recipiet. Hoc tartarum cum cribratis granis Kermes permistum, in aquam, ubi bullire cœperit, mitte, ibidemque ut aqua tingatur, per tantum temporis spatium, quantum recitando *Miserere mei &c.* sufficit, relinque. Postea recipe alumine, ut supra, infectum tomentum,

I 4 ubi

ubi per dimidiā horam in frigida  
steterit, & aqua in ollula bene tincta  
fuerit, idque expressā bene aquā mit-  
tatur in ollulam, & bacillo bene ver-  
setur, ut prompte tincturam susci-  
piat. Per dimidiā horam in eo statu  
permaneat, ita tamen ut leniter bul-  
liat. Postea auferatur ab igne ollula,  
exemptumque dum ligno puro versa-  
tur tomentum, in vas frigidā plenum  
projiciatur, & sub finem dimidiæ ho-  
ræ aqua omnis derivetur, submitten-  
do recentem frigidam: quā iterum  
derivatā tomentum exprimitur, & in  
loco à pulvere immuni ad siccandum  
seponitur, sed extensem, ne vel situm  
contrahat, aut alias incalefacat. Ad-  
vertatur ut ignis semper oppidò len-  
tus sit: fortior enim ignis tincturam  
reddit nigram. Postea lixivium facies  
hoc modo: Cineres farmentorū vel  
salicis, aut cuiuscunque alterius mol-  
lioris ligni telæ cannabinæ dupli-  
impone, affusamque sensim frigidam  
percolare in subjectum vas permitte,

&amp;

& quicquid percolatum fuerit, de-  
nuo cineri ad percolandum affunde.  
Postea quiescat lixivium per horas  
viginti quatuor, ut cineres fundum  
petant, & lixivium purum atque lim-  
pidum reddatur, quibus exactis de-  
cantetur in vas aliud, removendo  
quicquid est terrestre, quia bonum  
non est.

In hoc lixivium, dum friget, mitte  
tonentum illud cocco tinctum, &  
cura ut ad ignem bulliat maxime mo-  
deratum: eâ enim ratione lixivium  
rubro colore tingetur, & tomenti  
tincturam assument. Primo ergo non-  
nihil tomenti recipe, atque bene ex-  
prime, & siquidem coloris expers  
fuerit, aufer lebetem ab igne. Hoc  
enim est signum lixivium assumpsisse  
tincturam tomenti coccineam.

Postea tibiale lineum, vel ut vulgo  
manicam Hippocratis super capaci  
lebete vel cacabo suspendes, & per  
hoc tibiale tinturam omnem perco-  
labis, ipso etiam immisso tomento: &

I 5 ubi

ubi lixivium omne percolatum fuerit  
exprime tibiale simul & tomentum,  
ut omnem tinturam habeas, & in-  
vertendo illud à pilis lava, ut purum  
evadat nitidumque.

Praeterea his recipe aluminis roccæ  
pulverati uncias duodecim, easque in  
vitrum grande frigidâ plenum mitte,  
ibique tandiu detine, donec alumen  
omne solutum fuerit, & ubi jam il-  
lud in aquam abierit, manicam à pilis  
optime mundatam super duobus ba-  
culis ita extende, ut quâ parte orifi-  
cium ejus patet, superiora, quâ in py-  
ramidem exit inferiora & subiectum  
vas spectet. Postea aquam omnem  
alumine infectam in lebetem vel ol-  
lam, qua cocci tintura continetur  
effunde, & statim tintura beneficio  
hujus aquæ, quodam quasi coagulo,  
à lixivio separabitur. Ergo lixivium  
simul & tinturam omnem ex ollulâ  
purâ in manicam effunde, & lixivium  
transbit purum & limpidum, rema-  
nente in manica cocci tintura; vel si  
omni-

omnino aliquid coloris secum traxerit lixivium, denuo in manicam redeat, & confectum erit negotium. Deinde globulos tinturæ, manicæ adhærentes, ligulâ ligneâ purâ movendo misce, positisque ordine lateribus recens coctis, laccam à manica solutam, & segmentis lini exceptam, & latius aliquanto extensam illis impone, ut cito & bene siccescat: etenim diuturno humore situm contrahit, & colorem reddit illepidum. Quare si lateres plus humoris imbiberint, substituendi erunt recentes alii, tanto enim citius siccescit, siccata jam lacca auferatur à segmentis lini, & color erit pro pictoribus optimus, qualem ego *Pisis* saepius paravi. Notandum autem est, si color magis quam decet plenus & satur sit, plus aluminis roccæ, si dilutior, aluminis minus addendum esse, & colores efficies ad gustum & voluntatem tuam.

## C A P. C X V I I I .

Lacca ex ligno Brasiliensi & rubia, valde pulchra.

S I ex his speciebus seorsim & una-  
quaque earum per se laccam ex-  
trahere volueris, eadem plane, ut su-  
pra de granis Kermes dictum est, ra-  
tione procedes, tingendo aquam hac  
vel illa specie, ita tamen ut minus a-  
luminis in singulas ligni, & rubiæ un-  
cias quam granorum des. Etenim  
tinctura granorum altius latet, quam  
quæ ex ligno Brasiliensi & rubia ex-  
trahitur. Cum ratione ergo dandum  
est alumen, id quod praxis docebit.  
Præterea in singulas tomenti libras  
plus ligni Brasiliensis & rubiæ dabis,  
minus enim quam grana Kermes tin-  
eturæ habent, & hac ratione laccam  
pro pictoribus satis pulchram, & mi-  
niore quam ex granis impensa habe-  
bis; ex rubia præsertim, quæ laccam  
præbet pulcherimam & coloris spe-  
ciosi.

C A P.

## C A P. CXIX.

*Lacca ex granis Kermes: modus aliis  
magis expeditus.*

**I**N hoc modo à me Pisīs invento, non tomentum occurrit, non magisterium, non lixivium, non tinctura lanæ, nec tot alia, quot in supra dicto, utut verissimo, revera tamen laboriosissimo modo. Expeditissimus ergo hic modus est, & eundem effectum producit, atque hac ratione peragitur. Recipe aquam vitæ, quæ primo destillaverit, & in lagenam ejusdem mitte libram unam aluminis bene pulverati, ut dissolvatur. Postea addatur uncia una granorum Kermes pulveratorum, cibratorumque, ut supra. Omnis hæc materia servetur vase vitro, quod collum habeat minime angustum, agiteturque bene, & aqua vitæ mirum in modum tingetur. Hoc peracto stet per quadratum, & effundatur in vas terruum vitro obductum. Deinde recipere

cipe aluminis roccæ uncias quatuor,  
easque in aqua communi dissolve, at-  
que hanc aquam solutionis effunde in  
vas illud, quo aqua vita granis Ker-  
mes tincta servatur, & super vase ter-  
reo per manicam extensam, ut de lac-  
ca & tomento dictum est, cola, & a-  
qua vitæ transibit coloris omnis ex-  
pers, relinquendo tinturam in ma-  
nica. Quod si coloratior aliquanto  
transiverit, coletur denuo, & clara  
evadet Hæc lacca cochlearibus par-  
vis ligneis & puris excipitur, & eâ-  
dem prorsus, ut antea dictum est, ra-  
tione, siccatur, & exiguo labore quan-  
titatem laccę granorum Kermes mul-  
to majorem & nobilissimam habebis,  
uti Pisis probatum est.

## C A P. C X X .

Rubrum *in vitro* pellucidum.

**R**Ecipe magnesiam subtilissime  
tritam, eamque cum altero tan-  
to salis nitri purificati permisce, & in  
vase

vase terreo ad reverberandum & calcinandum per horas 24 in igne detine, extractamque postea & aqua communi calida lotam, atque à sale separatam sicca, & colorem referet rubicundum. Addatur æquale pondus salis armoniaci, omniaque super porphyrite trita aceto destillato imbuantur, siccenturque. Postea mittantur in retortam, quæ ventrem habeat largum, & oblongius collum, atque per 12 horas ignis arenæ sublimatorius adhibeat. Postea confracto vitro, permixtisque omnibus, quæ sublimata erunt, vel in fundo residebunt, pondus materiæ exquiratur, tantumque salis armoniaci addatur, quantum sublimatione decessit, omniaque trita, & aceto ut antea imbuta, in ejusdem formæ retorta ad sublimandum seponantur, idque tandem repetatur, usque dum magnesia in fundo fusilis remaneat.

Hæc illa medicina est, quæ crystallum & pastas colore rubro dia-

pha-

phano, instar rubini tingit, atque hu-  
jus medicinæ viginti unciaæ in singu-  
las crystalli vel vitri uncias dantur.  
Plus tamen vel minus dari poterit,  
prout exigere coloris ratio videbitur.  
Magnesiam autem oportet esse Pe-  
demontanam & bonam, hæc enim  
vitrum pulchro rubini & mirum in  
modum specioso colore tingit.

## C A P. CXXI.

*Rubrum instar sanguinis.*

**V**Itri plumbi libras sex, nec non  
vitri communis libras decem in  
ollam vitro albo obductam mitte, &  
ubi vitrum coctum purgatumque  
fuerit, adde, sed moderate & cum ju-  
dicio, scoriam rubram. Incorporetur,  
misceaturque vitrum optimè. Postea  
addatur tartarum rubrum pulverat-  
um, & vitrum sanguinis instar rubi-  
cundum evadet. Quod si color ni-  
mis dilutus fuerit, addatur plus sco-  
riæ & tartari, & vase beue ignito, vi-  
trum dubio procul bene tingetur.

C A P.

## C A P. CXXII.

*Color Balassii.*

**F**Rittam crystalli ollâ exceptam  
in fornacem mitte, & in aquam  
ter projice, posteaque magnesiâ Pe-  
demontanâ præparatâ tinge, & pur-  
purascet. Adde aluminis catini per  
incerniculum trajecti quantum sat  
est, ut purpureum evadat vitrum: id-  
que octies facies, notando, vitrum  
addito alumine non nigricare, sed fla-  
vescere, & in rubrum colorem verge-  
re, abscedente magnesia. Postremâ  
vice magnesiam solam, & nihil alumini-  
nis, nisi intensus nimis color sit adde,  
& colorem habebis balassii pulcher-  
rimum.

## C A P. CXXIII.

*Extrahere animam Saturni, quæ in ne-  
gotio smalorum & vitri plurimis  
rebus inservit.*

**L**Ithargyrium bene tritum in vas  
fictile vitriatum mitte, affunden-  
do

do tantum aceti, ut quatuor digitorum altitudine exundet. Sine stare, donec acetum lactis colorem attrahat, id quod confessim fieri solet. Decantetur acetum coloratum, affuso, ut antea recenti alio, & ubi coloratum fuerit, decantetur ut supra, idque tandiū fiat, dum acetum colorem nullum assumat. Mittatur acetum omne coloratum in vas terreum vitriatum, & quiescat, donec materia lactea refederit, & acetum liquidum decantetur. Lactea enim illa materia anima & pars Saturni nobilissima est, quae in negotio encaustorum & vitri plurimi rebus inservit. Quod si lactea illa materia non benè resederit, frigidam affunde: ea enim hoc præstare solet, ut fundum petat, si vero ne sic quidem resederit, acetum & aqua evaporet: pars enim aceti maxime subtilis, & multi in re vitaria usus in fundo residet.

C A P.

## C A P. CXXIV.

*Smaltum roseum, Italis Rosichiero  
dictum, quo aurum pingitur.*

**H**abeas frittam crystalli hac ratione factam: Recipe salis pulverei libras decem, tarsi candidi tenuissimè triti libras octo. Hanc materiam aquâ subige, ut massa solidior fiat, ex qua placentulas formabis exiguae, & tenues. Hæ placentulæ in vasa fictilia & fornaculam mittantur, ad exemplum calcariæ fornacis factam, & per horas decem calcinentur: vel si istiusmodi fornax ad manum non sit, mittantur in cameram fornacis prope spiraculum vel aperturam, per tres quatuorve dies, donec bene calcinatae fuerint. Adde calcis plumbi stannique ex præscripto *capitulo 93.* præparatae, nec non tartari albi calcinati ana libras duas, mixtaque omnia in vas vitro candido obductum mitte, & ubi jam bene fusa purgataque fuerint in aquam projice, idquebis fiat, eoque facto

facto in fornacem denuo redeant, & ubi bene purgata fuerint, addantur unciae decem scoriæ rubræ, & incorporentur. Postea crocus Martis aqua forti factus, haud aliter ac magnesia solet, sensim addatur, & per sex horas quiescat, & si color nondum responderit, addatur ut antea sensim non nihil croci Martis, usque dum disideratum colorem obtineas.

## C A P. CXXV.

Smaltum roseum *pro auro aliud*

**R**Ecipe frittæ crystalli, ut capite præcedente 124. dictum est præparatæ, libras quatuor, easque in vase vitriato puro liquatas purgatasque in aquam effunde, iterumque in fornacem mitte, & ubi bene purgatae fuerint, addatur sensim, & singulis vici bus uncia semis calcis plumbi & stanni, ut supra capite 93. præparatæ, & incorporetur, videaturque an color cinereus appareat, quo animadverso sub-

subsistendum, neque plus pulveris addendum est, ne color cinereus in album degeneret: id enim bonum non est. Calci & vitro purgatis, dentur minii optimi unciæ duæ, & ubi omnia incorporata purgataque fuerint, projiciantur in aquam, & in fornacem redeant, ibidemque per horas octo detineantur. Postea addatur æris calcinati vel scoriæ rubræ, nec non tartari albi crudi ana uncia semis & bene permisceatur, ac tandem adjiciatur hæmatitis, quo machæropæi in poliendis gladiis utuntur, nec non sulphuris fixi ana drachma una. Misceantur, & incorporentur, videaturque an color respondeat, & si nimis satur sit magnesiæ nonnihil addatur, & diluetur, & contra si nimis dilutus sit, addatur parum sulphuris fixi, nec non lapidis hæmatitis, cum modico scoriæ rubræ, & tartari albi, idque tantisper donec color ex voto sit.

C A P.

## C A P. CXXVI.

*Quomodo sulphur in usus supradictos fi-  
gatur.*

**F**lores sulphuris per horæ unius  
spatium in oleo communi coque.  
Deinde removeantur ab igne , ace-  
tumque affundatur fortissimum , &  
sulphur statim fundum petet, innata-  
bitque oleum aceto. Evacuetur u-  
trumque & sulphuri affundatur o-  
leum recens, procedaturque ut supra,  
idque ter , & sulphur habebis fixum  
ad usus supradictos.

## C A P. CXXVII.

*Vitrum instar sanguinis rubrum,  
quod smalti rosei loco inser-  
vire poterit.*

**V**itri plumbi libræ sex & frittæ  
crystalli libræ decem in olla li-  
quescant, purgentur , in aquam pro-  
jiciantur, ac denuo in ollam redeant,  
& bene purgentur. Ubi bene purga-

tæ

tæ fuerint, addantur scorię rubrę calcinatę quatuor vel sex unciae, & bene percoquantur ac purgentur. Postea addatur tartarum rubrum pulveratum, & incorporetur, purgeturque & videatur an color placeat: & si quidem satis plenus non sit, addatur tantum scoriæ rubræ & tartari, quantum satis esse videbitur, capiaturque specimen, idque denuo incalescat, donec satis rubrum sit, id enim intendendi coloris gratia fit.

## C A P. CXXVIII.

*Modus faciendi smaltum roseum, experimento comprobatus.*

**F**ritte crystalli, ut supra capite 124 præparatae, exempli gratia, libræ sex, mittantur in ollam vitriatam, & ubi bene purgatae fuerint, addantur quatuor distinctis temporibus, & per intervalla, quatuor unciae calcis plumbi & stanni, ex præscripto *capitis 113 factæ*, incorporenturque bene. Ubi omnia

omnia incorporata & bene purgata fuerint, projicientur in aquam, ac de-nuo in ollam redeant, fundantur & purgentur optime, eoque facto addatur scoriæ rubræ, massam pleno colore inficientis, uncia una semis, idque tribus distinctis temporibus, bene miscendo vitrum. Incorporetur, purgetur, & post bihorium addatur croci Martis, ut supra capite 16 præparati, uncia una semis, idque tribus distinctis temporibus. Misceatur bene, incorporetur, & purgetur trium horarum spatio. Postea addantur unciae sex tartari usci, & fuliginis camini bene vitrificatae uncia una. Tartarum, ut in Calcedonio dictum est, uratur, admisceaturque croci Martis, sulphure ut supra facti, uncia semis. Atque hi pulveres bene triti, quatuor distinctis vicibus vitro dentur, misceanturque omnia bene, sed ita ut semper temporis aliquod spatum intercurrat. Etenim intumescunt, atque hoc efficiunt, ut vitrum mirabiliter

liter

liter effervescat. Addito omni pulvere vitrum per horas tres quiescat & purgetur. Postea misceatur denuo, & experimento facto, si vitrum sanguinis instar rubicundum & translucidum appareat, bene habet; sin, adatur denuo tartarum ustum, cum fuligine, & croco Martis, ut supra, idque sensim, donec desideratus color exeat, permittendo, ut vitrum addito pulvere per horæ spatum quiescat, quo exacto, & exemto frustulo vitri, eoque candefacto, si sanguinis instar rubicundum & pellucidum sit, bonum est, & pingendo auro inservit, ut *Pisces* saepius probatum est.

---

### C A P. CXXIX.

#### *Rubrum translucidum.*

**C**Alinetur aurum aquâ regiâ, idque saepius, affusâ quinquies vel sexies eâdem aquâ. Hic auri pulvis in ollam fictilem, & fornaculam mit-

K tatur,

tatur, tantisper, usque dum in pulvrem abeat rubrum, id quod plurimum dierum spatio eveniet. Atque hic pulvis ruber si crystallo purgatae, & in aquam saepius projectae, pedetentim, & cum judicio addatur, verum transparentis carbunculi ruborem exhibebit, ut experimento compertum est.

---

C A P. CXXX.

*Modus figendi sulphur, ut smalto rosei coloris inserviat.*

**F**lat lixivium ex calce & acri cinere, qualis est quercinus, in eoque sulphur optimè coquatur. Hoc enim lixivium sulphuri unguinosum & combustibile illud adimit, quod naturaliter habet, mutatoque lixivio sulphur candidum evadit, nec non incombusibile & fixum, atque aurificibus inservit, ut aurum pingant.

C A P.

## C A P. CXXXI.

Vitriolum Veneris, de quo supra in fine  
capitis 31 dictum est.

Cucibula lutata mittantur in medios carbones ardentes fornacis anemiæ, & carbonibus bene operata stent per bihorium, quo exacto fornax per se refrigerat, exemptisque crucibulis æs calcinatum coloris erit nigricantis, qui purpurei obscurioris aliquid admixtum habeat. Hoc æs ea ratione calcinatum, teratur optimè, & cribretur. Adsit postea vas fistile rotundum, & in fundo planum, in *Thuscia tegame* dictum, quod ignem ferat, & fornax in summitate vel fastigio ferrum transversum habeat, cui vas carbonibus plenum imponatur, succensisque illis, immittatur supradictum æs calcinatum, adiectis prius in singulas æris libras uncias sex sulphuris communis pulverati, & cum ære permixtis. Ubi jam vas incalefcere, & sulphur inflammari at-

K 2 que

que comburi cœperit, unco longiore ferreo vertatur, agiteturque continuè, ne vasi adhæreat, vel in massam coëat, idque continuetur, donec sulphur omne absumtum sit, & fumum nullum emittat. Tunc vas, ita ut est calidum, ab igne auferatur, exētumque æs cochleari vel quo simili instrumento ferreo, optimè in mortario æneo tundatur, transeatque per cribrum, & pulverem dabit nigrum. Procedatur eadem plane ratione ter, hac adhibitâ cautelâ, ut vas tertiatâ calcinatione finitâ tamdiu in igne detineatur, donec æs quod eidem inest, colorem assumat rubescentem fulvum, quo suscepto auferatur ab igne, tundaturque in mortario æneo ut antea, & colorem habebis prædictum, nec non calcem, parando vitriolo, de quo infra dicetur, aptam.

C A P

## C A P. CXXXII.

Vitriolum æris, vel ut vulgo Veneris,  
sine corrosivis, ex quo verus & in-  
tensus color cæruleus extrahitur:  
res mirabilis.

**U**T jam ex supradicto ære calci-  
nato vitriolum extrahatur, ha-  
beas pro ratione æris calcinati unam  
vel plures ampullas, debitæ capacita-  
tis, vitreas, & exempli gratia libra una  
illius æris mittatur in ampullam sex  
librarum aquæ capacem. Aqua sit  
communis & limpida, & una cum  
ære calcinato arenæ fornacis impona-  
tur, adhibeaturque ignis temperatus  
per horas quatuor, donec libræ cir-  
citer duæ illius aquæ evaporaverint,  
id quod oculo discernere licet. Postea  
refrigescat fornax, & aqua leniter  
decantetur in vasa vitriata; æs autem  
quod in fundo reliquum est, redeat  
in fornacem, ut omnis evanescat hu-  
miditas. Quicquid aquæ decantatum  
fuerit, colorem habebit cæruleum

K 3 ple-

plenum, admirandæ pulchritudinis. Quiescat aqua per biduum, & pars quædam æris, ruffum quid referens, fundum petet. Filtretur aqua more solito, subiectis vasis vitreis, & pars æris, quæ in fundo residet, mittatur in vas fictile, ut omnis abscedat humiditas, & cum singulis æris libris permisceantur unciæ sex calcinati sulphuris, calcinenturque denuo, ut supra, & dum sulphur fumat, ferro ut antea agitetur, ne vasi adhæreat, & ut bene calcinetur. Calcinatione optime facta, eximatur ex olla, ita ut est calidum, tundaturque bene, & pulverem dabit nigrum, qui cum unciis sex triti pulveris ut antea permistus, agitetur, calcinetur, & ferro continue ut supra agitetur, id enim necessum est, atque tantisper in igne detineatur, donec æs colorem acquirat ex ruffo fulvum. Auferatur ab igne, atque ita ut est calidum, in mortario æneo optime tundatur, cribreturque cribro angustiore, & eadem

dem ut antea ratione, adjectis sex aquæ libris in arena fornacis ad ignem lentum per quatuor horas, usque ad consumtionem tertię detineatur. Decantetur, filtretur, & quiescat aqua, & reliquiæ æris in fornacem redeant, adjectis ad singulas æris libras unciis sex triti sulphuris, ut supra. Et quia in hac operatione non unum plerumque vas dirumpitur, in locum eorum quæ vel dirupta sunt, vel rimas egerunt, substituenda sunt alia, ne ære in cineres & carbones delapso totum opus pereat. Repetatur hic processus quinquies, vel sexies, & æs terræ mollieris instar erit, tincturamque suam cæruleam in aquis filtratis relinquet, quæ collectæ denuo solito more filtrantur, abjectis fecibus, & aquam habebis limpidissimam, coloris cærulei, & admirandæ pulchritudinis.

## C A P. CXXXIII.


*Modus extrahendi vitriolum ex his  
aquis coloratis.*


**A**mpullam vitream, quę tres aquę libras recipiat, hac aquā coloratā repletam, in cinere vel arena fornacis ad ignem lentum ut evaporet detine, positis prope fornacem pluribus ampullis, coloratā illā aqua repletis, ut incalescant, unde postea quicquid humoris ampullæ majori evapando decedit sensim cochlearibus vi- treis calidè restituitur, idque ne affusā frigidā rumpatur, & omnia pessum eant. Hujus aquæ coloratę libræ de- cem, evaporando ad duas cum dimi- dia, vel tres libras redactę, tincturę plurimum continebunt. Mittantur in vasa fictilia vitriata, & per noctem in loco humido & frigido quiescant, & vitriolum invenies æris lapillatum, & crystalli instar acuminatum, quod Smaragdi orientalis speciem referet. Decantetur omnis aqua, siccetur vi- triolum, ut non cohæreat, & quod re- liquum

liquum est aquę usque ad consumtionem dimidiæ evaporet, collectoque denuo vitriolo, eadem ratione procedatur, donec aquę nihil supersit. Hujus vitrioli libra una mittatur in retortam, luto forti optime lutatam, non admodum magnam, sed quę recipiens habeat amplum & capax, & per quatuor horas continuas ignis adhibetur maxime moderatus. Etenim si in principio ignem vel tantillum adaugeas, humidi illi & flatulentis spiritus vitrioli tantā violentiā erumpunt, ut recipiens nullum sit, quod sustinere impetum eorundem possit. Hoc ergo maxime observandum est, ut ignis in principio, & per quatuor horas bene temperatus, & juncturæ optime luttæ sint. Postremo ubi sicciores spiritus sub candida specie ascendere incipient, ignem adhibe potentem, continuando, usque dum recipiens inclarescere & plane frigere cœperit. Cesset jam ignis, exactisqne 24 horis juncturę dissolvantur, & quicquid in

K 5 lethimo recipi-

recipiente liquoris est, vasis vitreis o-  
ptime sigillatis asservetur. Hoc enim  
verum illud & intensum cæruleum  
est, quo admiranda plurima peragun-  
tur, quod ex odore illius haud diffi-  
culter percipitur, qui rerum natura-  
lium omnium potentissimus & acu-  
tissimus est. Plurima hic dicenda re-  
stant, sed quæ tanquam aliena ab arte  
vitraria silentio transmittimus, & da-  
ta meliore occasione fortassis explica-  
buntur. Feces in retorta nigri coloris  
reliquæ, si per dies aliquot aëri expo-  
nантur, per se colorem assument cæ-  
ruleum, sed pallidum, & pulveratæ,  
atque cum zaffera ut supra permistæ,  
si crystallo in debita dosi dentur, a-  
quam efficient marinam admiran-  
dam, qua de causa modum préparan-  
di hunc pulverem tanta perspicuitate  
descripsi, hac opinione fietus, mini-  
me vulgarem, sed ex reconditionibus  
naturæ esse, quam indicavi proce-  
dendi rationem: atque hæc omnia in  
gratiam eorum, qui ingenio sunt no-  
bili & curioso.





CHRISTOPHORI MERRET

*Med. D. & Societatis*

*Regiae membris,*

I N


# Libros de Arte Vitraria

N O T A E.

E C. P H C I E

16 FEV 83

B I B L Q U E



## Notæ in Epistolam

ad Lectorem.

**A**uthorem nostrum, atque  
hoc opus quod attinet,  
nemo ejusdem meminit,  
præter Garsonem in suo  
*de doctrina universali*, & Bornetium  
*de sufficientia* pag. 141. idque nomi-  
netenus nec ultra: ac ne curiosè qui-  
dem inquirendo invenire unquam  
potui, alterum illud, in *epistola dedi-*  
*catoria & præfatione* promissum, &  
res Chymicas concernens opus pu-  
blici Juris factum esse: nec à quo-  
quam Spagiricorum illud allegatum  
vidi: ex quo facile est concludere,  
nunquam illud in publicum prodiisse.  
Neque id mirum: nullum enim hic  
liber ei stimulum addebat, ut alterum  
illum ederet, ex quo hoc genus do-  
ctrinæ homini utilissimum inter for-  
dida, atque infra speculationem viro-  
rum hujus ævi numerari cœpit, quo-

L 2                   rum

rum subtile ingenium unicè versatur circa contemplationes inutiles vel indeterminatas, quarum notiones maximam partem meræ logomachiæ sunt. Cæterum doctissimus noster *Baco*, sublimioris & perspicacioris ingenii vir, in incomparabili suo *Novo organo* vanitatem atque impotentiam illius viæ solidè refutavit, & majore sapientia aliam substituit, magis efficacem & activam, promovendis artibus & scientiis. Atque hęc fructuosa doctrinæ via captis pluribus experimentis, à nonnullis privatim, non vero publicè ab omnibus trita est. Cæterum in eo jam est, ut maximos progressus factura videatur, ex quo eandem sibi designavit nobilissima & maxime venerabilis *Regia Greshamensis Collegij societas*, quę sacrę Regiæ apud populum suum restauratæ Majestatis indulgentiā, promovendis omnium virtuosorum conatibus, hujus veri finis & propositi ergo singulis septimanis congregatur, & quotidie

ma-

materiam suppeditat huic pulchro  
ædificio inservientem.

Partem hujus propositi alteram  
præsens hic liber continet, in quo  
plenè & fideliter exposita est omnis  
vitrum faciendi & colorandi ratio,  
quam author noster inde à juventute  
sua ab ingeniosis & industriis homini-  
bus didicerat, vel ab igne & experien-  
tia haustam percepérat: ac in plurimis  
tempus tibi, locumque operis & in-  
ventionis suę dinumerat, idque cum  
omnibus circumstantiis huc spe&tan-  
tibus

*Vitrum* Anglica nostra vox *Glaſſ*  
eadem est cum Germanica, derivatur  
que à Latino *Glaſtum*, ex quo demitā  
syllaba finali *Glaſſ* fit. Atque hoc  
*Glaſtum* Cæſari commentar. quinto  
*vitrum* vocatur, cum ait: *Omnes Bri-  
tanni se vitro inficiunt: qua de re Mela*  
lib. 3 cap. 6. *Britanni vitro corpora  
infecti: & Vitruvius, Lana vitro infe-  
cta: ita enim eruditus Turnebus hunc  
locum restituit cum antiquitus pro*

L 3                   *vitrum*

*vitrum* legeretur *ultrum*. Vitrum autem illud *Isatis* est, id quod ex his Vitruvii verbis liquet: *defectu Indici coloris vitro inficiunt, quod Græci Isatin vocant.* Nec aliter Apulejus tractatu de herbis nondum edito, sed qui in Emerici Casauboni manibus, & multo quam hactenus predicti anterior, magisque emendatus est, ubi sic legitur: *Herbam Isatin alii Aogigneme, Prophetæ Apesion, Itali alutam, alii herbam vitrum.* Sed scribendum: *Isatin alii angionem, Prophetæ arofion, Itali rutam, alii herbam vitrum.* Salmasius tamen constanter pro *Glastum* ponit *Guastum*, quod Britannis *Guadum* est, quibus *cæruleus* color *Glaſs* vocatur. Idem Plinius lib. 22. cap. 1. testatur his verbis: *Simile plantagini Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitæ quibusdam in sacris nudæ incedunt.* Et Cambdenus in sua *Britannia*: *Hæc illa herba est, quam Glastum vocamus & quæ nonnihil cærulei coloris reddit, quem Bri-*

*Britanni in hodiernum usque diem Glass vocant.* Ratio, cur *Glastum* acquisi-  
siverit nomen *Vitri* vel *Glass* forte  
hæc est, quod vitrum, quemadmo-  
dum noster author & experientia do-  
cet, naturaliter aliquid cœrulei in se  
habet. *Vitrum* descendit à *visum*,  
haud aliter atque *aratrum* & *rutrum*  
ab *aratum* & *rutum*, ultimâ syllabâ  
mutatâ in *Trum*, quod juxta Isido-  
rum lib. 16. cap. 15. *visui perspicui-*  
*tate transflueat.* Etenim quicquid  
metalla reliqua continent, in obscu-  
ro latet; cum econtra liquores omnes,  
& quæcunque vitro continentur, ap-  
pareant, ac si extra vitrum essent: at-  
que inde est, quod plurima corpora  
translucida vitrea vocantur, qualia  
apud Physicos, Horatium, Ovidium,  
Boëthium & Apulejum de fonte sunt  
albumen ovi, mare, flumina, aquæ.

*Inter veros pyrotechniæ fructus ignis*  
*est:* id quod verissimum est: totum  
enim artis, non naturæ opus est, nec  
sine vehementi igne produci potest.

L. 4. Egre-

Egregium artificem audivi facetè dicentem, artem vitrariam artium omnium toto orbe postremam fore; quandoquidem Deo hoc universum ignis violentiâ consumente, omnia in vitrum abitura essent: id quod suppositâ rationabili mistura salis & arenæ vel lapidum omnino eventurum esset.

Proxime accedit ad omne genus mineralium &c. Authores in referendo vitro ad suam speciem plurimum inter se differre video. *Agricola lib. 2. de re metallica succum statuit esse concretum. Vincentio Bellovacensi lib. 11. lapis est. Fallopius illud inter media mineralia numerat. Vitrarius, ubi fluere vitrum cœpit, metallum illud vocat.* Mihi nullum horum esse videtur, id quod generale hoc argumentum satis evincit, quod supradicta omnia naturaliter concreta sunt, cum vitrum arte compositum, & ab igne productum sit, nec ullibi, ut reliqua omnia, in cavernis terræ inventia-

niatur. Quare, quemadmodum fa-  
ctitia artium nomina à prædicamen-  
tis Logicis excluduntur, ita vitrum à  
prædictis speciebus secludendum, nec  
magis metallum dicendum est, quam  
cerevisia, byne, gluten, lateres &c.  
Sed regerit Fallopius, quærendo,  
quale illud vitrum sit, de quo loqua-  
mur: idne, quod in propriis suis ve-  
nis, & propriè lapis est; an vero illud,  
quod ex lapide illo extractum & de-  
puratum est, nec magis artificiale vo-  
cari potest, quam metallum extra-  
ctum ex sua minera & jam purifica-  
tum? Si enim id, quod in primo illo  
lapide est intelligamus, vitrum quod  
in illo lapide existit, ubi jam edu-  
ctum est, non minus naturale esse,  
quam metallum quod ex venis suis  
& proprio lapide eductum est. Ad  
quod respondeo, vitrum nullibi eâ  
ratione inveniri, sed arenam & lapi-  
des tantum, quæ vitri materia sunt.  
At vero alia metallorum ratio est,  
quorum certam speciem natura in

L 5 suis

suis venis formavit, utut nonnunquam ignis violentiâ educantur ex venis & terra vel lapidibus, in quibus minimæ earundem particulæ & atomi latent : hac tamen differentiâ, quod ignis innatâ suâ efficaciâ separando heterogenea, & congregando homogenea tantum producit, aut potius detegit metallum, cum in vitro longe aliter sese res habeat, ut quod uniendo & miscendo diversas salis & arenæ particulas perficitur, Hoc Fallopius, quod mirum est, negat, dicens, vitrum ex cinere non fieri : subjiciendo vitrarios quidem cineres ab Alexandria vel aliis locis allatos addere, sed hoc fieri loco nitri, quod in usu antiquitus fuit, idque hunc in finem, ut vitrum ex lapidibus metallicis tanto melius educatur: nec tamen ideo dicendum esse, cineres metallo admistos esse, ut vitrum fiat, sed ut vitrum tanto facilius è minimis lapidis particulis, id est ex proprio suo metallo extrahatur. Sed absurdâ hæc opim-

opinio facile refutatur: etenim si vitrum ex solo lapide extraheretur, pondus metalli necessario multo minus futurum esset pondere solius lapidis. Jam vero pondus lapidis longe superatur à pondere metalli: etenim libræ centum arenæ supra centum quinquaginta libras metalli redundunt. Præterea sal, ex quo vitrum componitur, magis fixum est, quam ut igne vehementissimo dissolvi possit. Jam in antiquis fenestris, ex vitro Gallico factis, quâ parte aërem respiciunt, manifestè, non dicam discernere, sed prehendere licet particulas salis, gustu naturam suam liquido demonstrantes. Porro nitidissimum vitrum, quod sale magis defæcato constat, & majus quam pro ratione arenæ salis pondus habet, si diutius sub terra, aut locis humidis asservetur, in frusta dissolvi invenies, solutâ unione salis & arenæ. Atque hæc ratio est, cur vitrum Venetum veneno dissolvi dicatur: id enim ve-

L. 6.

rum

rum est de nonnullis mineralibus, non vero vegetabilibus, aut aliis venenis: quo ipso manifeste evincitur sal in vitro permanere. Atque huc facit experimentum *Helmontii*, cap. de terra, ubi haec habet: *Si vitri pollinem pluri alkali quis colliquaverit, ac humido loco exposuerit, reperiet mox totum vitrum resolvi in aquam, cui si affordatur chrysulca, addito quantum saturando alkali suffecerit, inveniet statim in fundo arenam sedere, eodem pondere, quo prius faciendo vitro aptabatur.* Et in hoc experimento sal ab alkali & aqua regia assumentur, atque ea ratione partes componentes, quae in compagno ante confusae erant, in sua prima principia resolvuntur.

Alterum generale argumentum hoc est, quod utut concreti illi succi, de quibus supra, nec non lapides & vitrum igne fundantur, non omnes tamen lapides, nec omnes succi concreti & metalla vel semimetalla fusionem recipiunt: non talcum, nec sal armo-

armoniacum multaque alia quæ inter succos concretos numerantur : sed neque adamas , nec achates , oculus felis , jaspis , nec lapides pretiosi complures alii , nec marmor aliique plures lapides , quibus interior fornacum facies constat : uti nec Mercurius inter metalla , nec auripigmentum inter medii generis mineralia liquefecit : atque utut maxima pars eorundem fundatur , sola tamen metalla ductilia sunt , idque tum demum , ubi ad magnum frigoris gradum pervenerunt : etenim ubi admodum incaluerunt , particulæ eorundem non cohærent , nec vitri instar tenacia sunt , quod ubi probè incaluit , exiguo spiritu & sufflando per cavitatem in quamcunque figuram mutatur , quod nulli prædictorum corporum accidit . Præterea metalla liquefacta diffluunt , & in plures globulos & frusta abeunt : vitrū autem coit in cumulum , et iam tum ubi fractæ in fornacibus olæ sunt : & hæc vitri ductilis & tenax :

natu-

natura, mihi istiusmodi qualitas esse videtur, qua ab omnibus aliis corporibus essentialiter differt, etiam illis quibus vitri nomen obtigit, qualia sunt vitrum antimonii, vitrum Moscoviticum, lateres aliquae lapides vitrificati, quæ omnia istiusmodi examen non sustinent, & denominacionem suam, non tam ab intrinseca sua proprietate & natura, quam ab eo receperunt, quod transfluent. (sic *vitriolum à vitro*) Cœterum ut huic comparationi finem imponamus, proprietates vitri hic subjiciemus, quibus à corporibus reliquis omnibus facile discerni potest.

1. Concretum est ex sale & arenâ vel lapidibus.
2. Artificiale est.
3. Igne vehementi funditur.
4. Fusum tenax est & cohæret.
5. Igne non absumitur.
6. Ultimus ignis effectus est.
7. Fusum ferro adhæret.
8. Ubi benè incaluit, duile est,

32

& quamcunque figuram assumit:  
malleabile non est, sed flatu in con-  
cavitatem formatur.

9. Cum tenuius est, citra annihi-  
lationem frangitur.

10. Ubi friget friabile est ; unde  
nostrum proverbium : æque ut vi-  
trum fragile.

11. Sive frigidum sit, sive calidum,  
translucet.

12. Flexibile est, & in fila ductum  
habet motum rectitudinis.

13. Frigido & humido dissolvitur,  
præfertim si liquor falsus sit, & vi-  
trum derepente calesiat.

14. Solo adamante & smiride scul-  
pitur.

15. Æque ut pretiosi lapides dia-  
phanum est & coloratum.

16. Aqua forti, Regia & Mercurii  
non dissolvitur.

17. Succi acidi, & res aliæ quævis,  
colorem, gustum vel qualitatem aliam  
ab eo non recipiunt.

18. Polituram recipit.

19. Pon-

19. Ponderi ejusdem à frequen-  
tissimo usu nihil decedit.

20. Fusionem aliorum metallo-  
rum promovet, eademque teneriora  
facit.

21. Quemcunque colorem me-  
tallicum internè simul & externè su-  
scipit, ideoque picturis magis aptum  
est, quam res alia quævis.

22. Omnium quæ in toto orbe  
sunt maxime flexibile est, & quam-  
cunque formam suscipit, & susceptam  
servat.

23. Liquescit, non calcinatur.

24. Vitrum patens si æstatis tem-  
pore aquà repleatur, in externo late-  
re guttas aquæ colligit, idque ad eam  
altitudinem, ad quam aqua ascendit,  
& ab anima hominis manifeste hume-  
ratur.

25. Globuli vitrei, nucis magni-  
tudine, si Mercurio adimpleantur, &  
in ignem conjiciantur, haud secus ac  
gutta vitri viridis quaquaversum, non  
sine sonoro & acuto strepitu dissi-  
liunt.

26. Vi-

26. Vini, cerevisiæ, vel cuiuscunque alterius liquoris saporem non recipit, neque colorem mutat, aut rubiginem contrahit.

27. Lapidum & metallorum instar cæmentari potest.

28. Vitrum potorium, affusâ aquâ, si digito circa marginem dextrè fricitur, tonum musicum reddit, acutum, vel gravem, pro aquæ majore vel minore copia, ipsumque liquorem subsilire facit.

### *Antiquitas vitri.*

**A**ntiquitatem vitri quod attinet, author noster illam deducit ex Jobi capite 28. v. 17, ubi sapientia à versu 15. ad 20. cum rebus selectissimis comparatur, & hoc versu 17. dicitur: *Aurum & vitrum non æquabitur ei.* Ita author noster secutus vulgarem latinam translationem: ita septuaginta, nec non Hieronymus, Elias in Nomenclatore, Pineda, Biblia Tigurina.

rina & Syriaca: sed Arabica translatio  
habet *Hyacinthus*. *Crystallus*, ut ha-  
bet Chaldaica translatio, nec non  
Xantes, Arias Montanus, Forsterus,  
& Hebræi, quos sequitur Nicetas,  
nec non Regia Hispanorum & An-  
glica translatio. *Lapis pretiosior auro*,  
ut Pagninus ex Rabino Levi Kimhi.  
*Speculum*, ut Thargum: forte quia  
tum temporis noviter inventa & in  
pretio erant specula, ut quæ materia  
constarent pretiosa: atque ita Mun-  
zerus vertit. *Vitrum crystallinum*, ut  
Complutensis. *Beryllus*, ut Vatabius.  
*Adamas*, ut Rabbi Abraham, Rabbi  
Mardocai, Pagninus, Cajetanus, ver-  
sio Italica, Hispanica, Gallica, Ger-  
manica & Belgica. *Pyropus, vel Car-*  
*bunculus, vel qua similis elegans & pre-*  
*tiosa gemma*, ut Pineda. Sed hæc qui-  
dem nomina sunt unius ejusdemque  
gemmæ, quam noctu relucere credi-  
dit antiquitas, sed quam in rerum na-  
tura frustra quæras. Recentiores  
illius loco substituerunt *Rubinum*.

Ra-

Ratio differentiæ inter Interpretes  
hæc est, quod vox primitiva *Zechu-*  
*chib* descendit à radice *Zacac* quod  
est *purificare, emundare, lucere, album*  
& *translucidum esse*. Eadem vox *In-*  
*censo* applicatur, *Exod. 30. 24.* & à  
septuaginta interpretibus reddita est  
*Pellucidum*: ut jam manifesta sit ratio  
varietatis in transferendo textu: quia  
enim vox illa in genere significat,  
quicquid pellucidum est & specio-  
sum, hinc Interpretibus licuit illam  
applicare istiusmodi rebus, quæ in  
æstinatione & pretio erant, ita requi-  
rente textu; nec non pellucidis, ita  
requirente vi vocis. Cæterum mihi  
non Adamas, nec Carbunculus, ne-  
que Hyacinthus denotari videtur.  
Horum enim lapidum mentio fit in  
pectoralis Aaronis, *Exod. 28.* quo ta-  
men capite vocem illam non reperias.  
Sed nec vitrum, neque crystallus: in-  
congruum enim esset, res usque adeo  
exigui valoris in comparationem ve-  
nire, cum illud materia constaret verè

com-

communi; hoc vero non esse vulgare. Præterea probabile est, vocem hanc auro additam esse amplificandi gratiâ. Adde vitri in Vet. Testamento nullam, in Novo apud Paulum, Jacobum & in Apocalypsi frequentem fieri mentionem. Et quis credat, rem tot modis illustrationi & similitudini aptam silentio præteriri à scriptura, elegantiarum in hoc dicendi genere plenâ, si in usu tum communi fuisset? Quare in ea sum sententia, ut putem vocem illam generaliter sumendam, neque restringendam esse ad hanc vel illam pretiosam & pellucidam rem vel gemmam, sed extendendam esse ad omne illud, quod utramque illam proprietatem habet. Sed nimis multa in aliena messe.

*Aristophanes* primus eorum esse videtur, qui meminerint vocis *υαλο-*, quam nunc *vitrum* interpretamur. Etenim in *nubibus* act. 2. scen. 1. Sthrepsiadēm introducit il- ludentem Socrati, & docentem no-

vam

vam methodum solvendi debita antiqua, nimirum inter solem & scriptam dicam interponendo lapidem pulchrum & pellucidum, quem unguentarii vendebant & quo ignis accendebar. Sol enim deleturus erat literas intentæ dicæ, qui lapis Socrati  $\delta\alpha\lambda\Theta$ - est: ad quæ Scholiaestes: *Unguentarii* pretiosos lapides æquè ac medica-  
menta vendunt. Et veteribus  $\kappa\rho\mu\Theta$ - idē est quod  $\kappa\rho\mu\sigma\alpha\lambda\Theta$ . Homero ignotum fuisse hoc nomen, eidemque simul & antiquitati in usu fuisse vocem *Electri* Scholiaestes ibidem testatur, dum per-  
spicue vitrum nostrum his verbis de-  
scribit: *Nos propriè vitrum illud voca-  
mus, quod ex herba usta igne liquatur,  
ad præparanda certi generis vasa.* Apud Hesychium vox *hyalos* eo sensu non extat, sed hyale, hyalœis, pellucidus, diaphanus. Etymologista eadem in hac sensu utitur, atque vocis etymon deducit ab  $\nu\epsilon\tau\gamma$ , quod est pluere, id-  
que ob similitudinem, quam quoad consistentiam & pelluciditatem cum glacie

glacie habet, quæ congelata pluvia vel  
aqua est: atque hoc sensu nonnulli &  
*glacie glass* deducunt. Aristoteles duo  
de vitro problemata habet; primo:  
*Cur per vitrum videamus?* Secundo:  
*Cur flecti vitrum nequeat?* Hæc pro-  
blemata, si Aristotelis sint, de quo  
eruditi dubitant, inter vetustissima  
antiquitatis de vitro monumenta  
sunt: nullibi enim apud antiquos  
Græcorum Poëtas vel Oratores vitri,  
utut cum proposito eorum, ut supra  
dictum est, convenientissimi, men-  
tionem factam invenies. Et nota am-  
biguitatem vocis hyalos: crystallus  
enim, ut supra *Scholiaſtes* & *Hugo Gro-  
tius*, eo nomine veniebat, permutatis  
ob similitudinem rei nominibus: &  
*Gorreaus* ait, certam succini flavi, &  
vitri instar pellucidam speciem, a non-  
nullis hyalum dictam esse. Primus  
ergo Græcorum, qui citra omne du-  
bium vitri mentionem fecit *Alexand.*  
*Aphrodisæus* fuit, qui hunc in mo-  
dum: *Vigor coloris si per vitrum con-  
ſpicia-*

*spiciatur. Et magis clare : lib. I. Vitræ,*  
*si tempore hyemis derepente calefiant,*  
*franguntur. Et rursus : Corpus vitri*  
*frangere. Lucianus prolixè admodum*  
*meminit vitreorum poculorum. Et*  
*Plutarchus in Symposiacis, ignem ta-*  
*maricis vitro formando aptissimum esse*  
*eat.*

*Ægyptios hujus artis peritos fuisse*  
*ex Flav. Vopisco liquet, citante Mar-*  
*cell. Donato, his verbis : Alexandria,*  
*civitas opulenta, & frugum plena, in*  
*quæ nemo otiosus vivit: nonnulli vitrum*  
*conflant; alii papyrum conficiunt. Kir-*  
*cherus tamen, in Oedipo suo, ubi de*  
*Ægyptiorum artibus agit, mentione-*  
*nem ejus rei nullam facit.*

*Lucretius*, inter Latinos Poetas  
primus vitri mentionem facit, cuius  
versus addam, quia de vitri pelluci-  
ditate agunt

*nisi recta foramina tranant,*  
*Qualia sunt vitri. lib. 4 602. 603.*  
*Et rursus : Atque aliud per ligna, aliud*  
*transire per aurum,*

*Ar-*

*Argentoque foras , aliud vitroque  
meare. l. 6 v. 98. 990. & posteriores  
Poëtæ omnes.*

Americæ ignota erat hæc ars , nec non universæ Asie, exceptâ Sidone & Chinâ , quibus sero admodum innovuit ars faciendi vitrum, ex oryza plane perspicuum , sed prorsus fragile, ideoque nullo modo comparandum cum nostro : prope tamen ad illud accedit. *Atlas Sinicus, pag. 6.*

Cæterum ut hanc controvèrsiam decidamus , manifestum est , vitrum antiquitati non ignotum , nec minus antiquam vitri quam figlinæ & artis formandi lateres cognitionem esse: vix enim est, ut fornacem laterariam exuras, aut figurarem percoquas, quia lateres nonnulli , & aliqua illius mercimonii pars in vitrum abeat. Quare vitrum sine omni dubio tunc temporis , cum turris Babylonica exstruetur, & ex quo ars illa formandi lateres innovuit, simul notum fuit. Etenim dum filii Israel captivi detinebantur,

magna

magna pars servitutis erat formare lateres. Et hujus naturæ fossile illud vitrum fuerit necesse est, de quo Ferr. Imperatus l. 25. c. 7. hunc in modum: *Vitrum artificiali simile inventum est, iis in locis, ubi magni ignes excitati fuerant, quod percussum ignem non reddebat.* Inventa sunt alia vitri segmenta, forma orbiculari, & pyriti similia, quæ confracta splendebant, & cum virore quodam pellucida erant, colophonice speciem referentia: atque haec percussa ignem reddebat, haud aliter atque pyrites, à quo tamen differunt, tam ratione vegetationis, quæ pyriti peculiaris est, quam respectu splendoris, & quia, quod vitro proprium est, facilimè liquantur. Horum segmentorum alia fragilia, alia solida erant. Fragilia vel friabilia in ignem missa intumescendo albi pumicis speciem & postea fulgorem vitri artificialis assumebant. Sed quæ continua & solida erant, post exiguum in igne mutationem à nigredine in vitrum album articiale transibant. Hoc fossile vitrum ab America

M rica-

*ricanis factum est, quo ferri loco scindunt, & foramina cavant: Haec tenus ille. Et forte ex hoc vitri genere, segmentum illud fuit, quod ad S. Albani, ubi vetus Rom. statio fuit, à Romano latere abrumpebam, ejusdemque cum hodierno nostrate coloris & substantiae est.*

Nec vero dubium ullum est, quin hoc vitri genus frequentius in illorum quam nostris lateribus inventum fuerit; terram enim suam per biennium cogendo temperabant, quo ipso opus reddebat magis firmum solidumque; præterquam quod lateres suos magis exurebant. Atque hæc vitrificatione terræ lateribus accidit, non à primâ tantum eorundem coctura, sed uti Imperatus observavit, à quo vis magno igne, istiusmodi scilicet, qualis in calcaria & figulari fornace adhibetur, & cuius usus in Asia Africaque antiquissimus est, ubi lapides ut plurimum vitrificant. Nunquam tamen vel vidi, vel audivi, in domo late-

lateritia, ab igne domestico vitrificasse lateres. Mihi enim ita videtur à solo igne, quo strues crudorum & exsiccatorum laterum excoquitur, hunc effectum produci, nisi per viam reverberationis id fiat, in fornacibus, ubi vehemens, cæcus, & continuus ignis alitur.

Hoc vitrum diu sub terra durabat, utut Helmontius affirmet, vitrum exiguo aliquot annorum spacio sub terra dissolvi, putrescere & in aquam abire, id quod de crystallino nostrate verum, nec tamen omni generaliter vitro commune est.

Methodum ab authore nostro adductam, & à mercatoribus inventam quod attinet, illa mihi fide non admodum digna videtur, quando non assidua exustio herbæ kali apud Hispanos & Ægyptios, nec alterius materiæ apud nos, in copia quam à mercatoribus majore, atque adeo consequenter calore magis intenso & durbili facta, ullo unquam tempore produce-

M 2 duce-

ducere vitrum potuit, ac ne ingens quidem & cœcus calcariæ ignis producere illud possit. Forte metallo-rum excoctores, quam artem Tubal-cain primus invenit, vel veteres Chy-mici, dum metalla fervidis fornacibus & igne diutius urgent observare vitrum ea ratione non potuere?

Horum Chymicorum antiquissimi Ægyptiorum Principes fuisse vi-dentur, qui inde ab Hermete Tris-megisto omnes hanc artem profite-bantur, universalem medicinam mo-lientes, non vero suppositam illam transmutationem metallorum, ut Kircherus in Oedipo suo affirmat. Atqui irritus fuislet ille conatus, ci-tra magnum ignem & fornaces, quos & que ac materialia eorundem quan-doque in vitrum abire necesse erat: ut jam ex his quæ dicta sunt evidenter appareat, ipsam vitri cognitionem antiquissimam, sed artem elaborandi vitrum inter recontiorum inventa es-  
ce, primumque hoc artificio & forna-ce vi-

ce vitraria nobilem locum Sidonem fuisse testante Plinio lib. 36. cap. 26, quemadmodum primus inter Romanos Tiberius fuit, cuius ætate, secundum ea quæ legimus, vitrum conflatum sit, uti ex historia viri illius apparet, quem ob id cæsum Plinius refert, quod vitrum malleabile fecerat, de quo postea.

*De usu vitri.*

**I**N domesticis negotiis vasæ ex vitro fiunt infiniti generis, coloris & magnitudinis: calices plani, effigiati, & vel per totum, vel pro parte colorati pro vino Rhenano, Hispanico, clareto, cerevisia: lagenæ aliaque vasæ, excipiendo vino, cerevisia, spiritu, oleo, pulvere; in quibus videre licet liquorum perspicuitatem, bonitatem, nec non fermentationem, separationem, omnemque aliam mutationem, quam natura in iisdem cum tempore operatur. Præterea patellæ excipiendis ser-

M. 3. van-

vandisque cibis calidis : vitra quibus horas & tempora dimetimur , quibus lineas vestes complanamus: ornamenti item pro musæis & pluteis : nec non fenestræ ad arcendum frigus & humorem , admittendumque lumen in ædes nostras , quod per coloratum vitrum transiens , opposita soli corpora proprio vitri colore tingit : & tandem vitra specularia , deliciæ atque opus Narcissi & sequacium.

In Physicis perspicilla convexa pro senibus, concava pro myopibus , qui contraria quam senes ratione nisi prope oculos posita non vident : præter cucurbitulas & vitra , quibus urinam excipimus , quibus ubera mulierum fugimus , & quibus cœlatores atque gemmarii , dum res minimas & accuratas perficiunt , oculos præservant; præter oculos etiam illos artificiales, quibus delectationis vel ornamenti causa objecta minuimus , dilatamus, prolongamus, multiplicamus, figuræ eorundem & situm diversimode mu-

ta-

tamus, & varia eorum collocatione  
in vulgo spectatorum metum excita-  
mus atque consternationem , prout  
videre est in opticis, catoptricis, cato-  
ptrocausticis, catoptrographicis, dio-  
ptricis & telescopicis , quorum par-  
tem maxime raram & admirabilem  
Scottus ex Kirchero , Porta aliisque  
collegit. In Astronomicis quam ra-  
ra & admiranda detecta sunt benefi-  
cio telescopiorum , quæ Galilæus de-  
Galilæis, vel Scheinerus (de eo enim  
inter se contendunt ) invenit, & quæ  
Paulus Nealius Anglicanæ gentis de-  
cuss , nec non doctissimus Hugenius,  
incomparabilis Hevelius & Eustachius  
Divini Romæ vehementer promove-  
runt ; quorum usus doctrinam astro-  
rum vere illustravit , detectis indies  
novis stellis , novisque orbibus, anti-  
quitati plane incognitis; præter usum  
quem terrâ marique nautis, militi-  
bus , aliisque personis exhibent , in  
discernendis , distinguendisque re-  
bus procul distantibus. His adde in-

M 4. si-

signem illam sphæram vitream, de  
qua Claudio*nus* ingeniosum hoc epi-  
gramma scrip*fit*:

*Jupiter in parvo cum cerneret æthera  
vitro,*

*Risit & ad superos talia dicta dedit:  
Huccine mortalis progre*ss*a potentia cu-  
ræ?*

*Jam meus in fragili luditur orbe la-  
bor.*

*Jura poli, rerumque fidem, legemque vi-  
rorum*

*Ecce Syracusius transtulit arte senex.*

*Inclusus variis famulatur Spiritus a-  
stris,*

*Et vivum certis motibus urget opus.*

*Percurrit proprium mentitus signifer  
annum,*

*Et simulata novo Cynthia mense re-  
dit.*

*Jamque suum volvens audax industria  
mundum,*

*Gaudet, & humana sydera mente re-  
git,*

*Quid falso insontem tonitru Salmonea-  
miror?* *Æmu-*

*Æmula naturæ parva reperta manus.*

Rationem cur hanc sphæram vietram fuisse statuamus, Cardanus in suo de subtilitate libro prolixè tradit.

In Philosophia doctrina reflectionum & refractionum ad detegendos effectus & affectiones aëris & aquæ, aliorumque liquorum, & varios eorundem motus in tubis & syphoni-bus. Experimenta vacui mediante Mercurio; nec non infinita experimenta rarefactionis & condensatio-nis in thermoscopiis, hydraulicis, & pneumaticis, in Florentino, Romano & Magdeburgico experimento, quod Dn. Roberto Boylio occasionem dedit rari illius iuventi, quo mediante tot insignes conclusiones demonstravit, atque tot singularia experimenta invenit, quibus illustris factus est, apud omnes suæ gentis, nec non apud exterorum Legatos, & doctorum in vicinia quemque.

Nec omittenda sunt vitra uistoria,

M 5 vel

vel illa, per quæ lux in locum obscurum admittitur, quibus Plempius & Scheinerus veram visionis naturam demonstrarunt, haud secus atque Renatus Cartesius vitris aliis generationem Iridis.

Nec oblivioni danda sunt rosaria, monilia, inauria, aliaque ornamenta, quæ magnum nobis auri ex Guinea cumulum procurarunt, dum illius loci incolæ nasum, aures, labia & crura istiusmodi rebus vitreis exornant.

Ita vitrum ædibus, templisque nostris ornamenta suppeditat, in quibus res naturales simul & artificiales coloribus gloriosissimis & orientalibus ad vivum depictæ sunt.

Concludemus trianguli illo vitro, quod Paradisus stultorum vocatur, & dignum est, cognitione sapientum, quodque colorem rubrum, cœruleum, & viridem usque adeo vivè repræsentat, ut nulli colores cum iis conferri possint. Referam ex Trigaultio, quanti illud fecerit sagacissi-

ma

ma gens Sinensium. In urbe Sinensi  
Tanian graviter & periculoſe decum-  
bebat Jesuita Riccius. Cœterum a-  
amicus ejusdem Chiutaiso illis erga æ-  
grotantem defungebatur officiis, ut  
mensis unius quo ibidem morabatur  
spacio, ita vires suas recolligeret, ut  
melius quam unquam antea valere  
fese arbitraretur.

Riccius hanc amici sui urbanitatem  
inter alia remunerabatur istiusmodi  
triangulari vitro, quo ille plurimum  
delectabatur, & ut vitro dignita-  
tem adderet, religatis aureâ catenâ  
extremitatibus, thecæ illud include-  
bat argenteæ, adjecto eleganti enco-  
mio, quo probare conabatur, hanc  
gemma fragmentum esse illius ma-  
teriæ, ex qua cœlum constat. Hæc  
ornamenta alliciebant plurimos, nec  
ut fertur defuit, qui vitrum illud  
paulo post quingentis coronatis lici-  
taretur, abnuente pretium Chiutai-  
so, ob hanc maxime causam, quod  
sciret Regi isthuc vitrum muneris lo-

M 6

co

co deberi, metueretque, ne emtor illud ad eundem, præveniendo Ricciūm, mitteret. Sed cum rescivisset, oblatum jam tum istiusmodi munus Regi, aucto nonnihil pretio illud vendidit, exsolutisque eâ ratione pluribus debitis societatem sibi obligavit.

Malleabilitatem vitri quod attinet, cui Chymistæ possibilitatem sui Elixiris superstruunt, illa pro fundamento, sed debili habet locum Plinii lib. 36. cap. 26. ubi, *Ferunt*, inquit, *Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset, & totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur, eaque fama crebrior diu quam certior fuit.* Plinius vixit tempore Imperatoris Vespasiani, qui tertius à Tiberio fuit, ut diutius tenuisse hæc fama videatur. Idque plures post Plinium referunt, sed ita, ut nonnihil ab eo differant. Dion Cassius lib. 57. inquit: *Eo tempore, cum ingens porticus inclin-*

inclinaret in latus, architectus quidam,  
(cujus nomen ignoratur, quia Cœsar  
inviduæ motus id prohibuerat in libros re-  
ferri) mirâ illam ratione erexit, fir-  
matis utrinque fundamentis, ut immo-  
bilis staret. Tiberius solutâ mercede ur-  
be illum ejecit. At ille rediens, cum spe-  
cie supplicantis Principem adiisset, pocu-  
lum vitreum consulto prolabi passus est,  
& confractum manibus suis restituit,  
veniam per hoc sese obtenturum sperans:  
sed mori ob id jussus est. Isidorus affir-  
mat, Imperatorem indignantem il-  
lud illisille pavimento, quod artifex  
quassatum, & æris instar complicata-  
tum, producto è sinu malleo recon-  
cinnaverit, eoque facto quæsivisse  
Imperatorem, an quis alias hujus  
artis gnarus esset, & cum id mediante  
juramento negasset artifex, jussu Im-  
peratoris eidem præcisum esse caput,  
ne divulgata hac arte aurum pro luto  
haberetur, & pretia metallorum de-  
traherentur. Et certe, nisi rupturæ  
obnoxia essent vasâ vitrea, auro ar-

gen-

gentoque meliora essent. Gravem horum trium autoritatem sequitur Pancirollus, aliique, ex auditu tantum id referentes; At Mathesius, Goclenius, Valensis, Libavius, & universa Chymicorum cohors, magnâ confidentiâ illud asserit, virtute Elixiris id factum esse contendens. Sed statuant illi fidenter quicquid volent: Plinius referendo hanc historiam, addit, *Ferunt*, & *Fama*, ac tertio *crebrior quam certior est*. Quod ter repetitæ dictionis genus satis arguit, exiguum illam, quam huic historiæ tribuebat fidem. Suffecisset in narranda re non admodum probabili, addidisse, ad asserendam autoritatem suam, vulgatum illud, *Ferunt*, sed addit de suo, *Fama crebrior &c.* quo ipso, si externam speciem sequaris, aliquid fidei huic historiæ ab aliquibus; si vim verborum, nihil a sapientioribus tributum esse evidenter probatur. Quid enim verba illa *Ferunt*, *sed incerta fama &c.* inferre aliud possunt,

quam

quam diffidentiam narrantis? Et fama tantum erat: nemo Physicorum, Poëtarum, vel Historicorum illud refert: nemo personæ, nemo, quod mirum est pœnæ meminit insolitæ; cum tamen libri eorum scateant observationibus raro contingentium. Et an cuiquam probabile videri poterit, Imperatorem non incubuisse huic arti, eandemque inter penitiora tabularii non transmisisse ad successores, ceu rem notatu dignam, cuius in rerum natura exemplum non existarer, nec fortè extitum esset unquam, artifice cæso? Et totum hoc, quamquam rarissimum inventum, & insuetum pœnæ genus, intra paucos annos sub unius vocis *Ferunt* præconio evanuerit. Vox ergo populi fuit, & quidem Romani; imo vero crudelitatis Neronianæ, quæ tueri hanc fabulam haud difficulter potuit.

Sed quam ob causam Plinius hoc retulit? Non ob aliam certe, quam ut obsequeretur genio suo, qui huc fere-

ferebatur, (nepote ejusdem in epistolis, & hoc præsenti opere testibus) ut literis consignaret, quicquid in arte vel natura rarum erat: Forte etiam narrando rem suo judicio non impossibilem, & quæ effectum aliquando sortitura esset, id egit, ut suæ nationi ascriberet laudem inventionis alienæ. Præterea non aliud hoc temperamentum fuit, quam ut vitrum redderetur flexibile. Et quis credat posteritati defuisse attentionem, in re vulgatissimi usus, & ad quam præter duo materialia nihil requiritur? Et quid si bi vult fama, cum de diminutione pretii auri & argenti loquitur? Fateor me nihil hic videre, quod vel Imperatorem non deceat, vel auri argenteique obstitutum sit pretio, sed commoda longe plura, & in verbis Cæsar is vim consequentię nullam. Ac tantum de Plinii testimonio. Sed quid est, quod illi, qui hæc à Plinio sumserunt, addere huic negotio, præter authoritatem primi referentis possint?

Pro-

Profecto nihil: specialiter, ex quo ea in textum Plinii commentati sunt, quæ verba ejusdem non ferunt, omnia suis additionibus transformando in formalem relationem. Plinius ait: *ut flexibile esset*: Dionis commentum est: *artificem restituisse vitrum confractum*: qui primus ad malleabilitatem gradus est. Sed complementum Isidorus addit, dicens, *malleo id refectum esse*. Hinc videre licet, per quos gradus ad nos pervenerit hæc opinio, & quam mirâ variatione & interpretatione id actum sit, ut posteritati verisimilis videretur; Id quod Plinius ex vulgari traditione refert, addendo censuram incertitudinis, Chymici, ut suam de omnipotente Philosophico lapide sententiam tueantur, omittunt, & flexibilitatem Plinii in malleabilitatem convertunt, ac si nulla inter flexibilitatem & malleabilitatem differentia esset; cum tamen omnia corpora aliquâ ratione flexilia, sed nulla malleabiliâ

Ia sint, præter metalla. Segmentum vitri vulgaris Muscovitici, & infinita alia plurimum flectuntur, quæ tamen malleum non ferunt, & in tenues laminae, ut malleabilia, non dilatantur. Quin vitrum ipsum, ut appetet, aliquo gradu naturaliter flexibile est: Vitræ enim crystallina, oppido tenuia, si debite incalescant, parum, sed visibiliter flectuntur: & tubos habui duodecim vel amplius pedum, experimento Mercuriali dicatos, qui Mercurio repleti insigniter flectebantur: ut jam in ea sim sententia, si quidquam omnino veri his Plinii narratis inest, id huc redire, ut cum vitrum ætate Plinii maximè fragile, & cujuscunque vel minimæ injuriæ incapax esset, ceu sale nitro constans, ignotâ adhuc arte calefaciendi, de qua nihil Plinius, prodierit hic artifex, qui mediante Kali, & via calefactionis, vitrum invenerit alio priore firmius & quod ferre aliqua ratione casum & vim majorem posset, id quod famæ occa-

occasione dedit, (de quâ Virgilius:  
*parva motu primo, mox sese attollit in  
auras*) ut additis, ut fit, nonnullis cir-  
cumstantiis, formaret illam histo-  
riam, quam Plinius refert.

Possibilitatem autem faciendi vi-  
trum malleabile quod attinet, nihil  
rationis, præter hanc Chymicorum  
relationem invenio, qui ratiocinando  
per circulum ab Elixire ad vitrum, &  
à vitro ad Elixir argumentantur. Et  
multo certe alterum altero factu fa-  
cilius esset. Etenim ut Elixir produ-  
catur, necessum est, ut *ex ente non tali  
fiat ens tale*, non repugnante, nec in-  
habili existente *materia ex qua*. Sed  
in vitro aliter sese res habet: etenim  
res omnium naturâ suâ maxime fra-  
gilis vitrum est, & ut malleabile fiat,  
necessum est introducere qualitatem  
naturæ suæ contrariam. Præterea  
nullum malleabile diaphanum est: &  
quis vitrum vocaret, quod diapha-  
num non est? Eodem sane jure quis  
aurum vocaret, id quod ponderosum

&amp;

& malleabile non est, quo vitrum, id quod malleabile, sed diaphanum non est. Adde naturam malleabilitatis consistere in arcta & perpetua cohæsione partium, nec non capacitate recipiendi quamcunq; figuram, quoad minutas partes, id quod cum natura vitri non convenit. Materialia enim vitri, sal scilicet & arena, istiusmodi figuram habent, quæ cohæsionis illius incapax videtur. Sal præ aliis omnibus determinatam suam figuram habet, quam etiam cum maximè solvitur, & igne urgetur, servat, nisi totalis ejusdem destructio accedat, id quod pluribus argumentis evincere licet. Et hæc figura pro ratione cuiusque salis varia est. Sal nitrum, & quodvis alcolisatum sal acuminatum est, & quia acuminatum & causticum est, ex infinitis acutissimis acubus constare videtur. Arenæ autem figura varia, imo, ut in microscopiis videre licet, infinita est. Jam quis sibi persuadeat, hanc tantam figuræ in arena

va-

varietatem ita quadrare ad determinatam figuram salis, ut cohærent in minimis, id quod ad efficiendam malleabilitatem necesse est? cum econtra ut vitrum fiat, satis sit, ut partes in hoc vel illo puncto sese multo tangant, ex quo contactu istiusmodi unio oritur, quæ formam vitri absolvit, & malleabilitatis omnis incapax est. Atque ab hac unione in vitro pori sunt, quibus mediantibus, uti ex Lucretio didicimus, diaphanum est: præterea, quod jam dictum est supra, utrumque in composito id est & manet, quod erat antea. Concludam hoc argumentum, dicendo, me in ea sententia esse, ut putem, à solo Elixire sperandum esse hunc effectum, & eodem utrumque tempore proditurum in lucem.

*De fornacibus.*

**A**Ntea quam artem ipsam aggrediamur, necessum est, subministrare

strare formas fornacum, earumque,  
præcipua instrumenta, nec non mo-  
dum elaborandi metalla, ubi jam ex-  
cocta sunt, id quod ab authore nostro  
prætermissum, nec tamen eo minus  
scitu necessarium est. Ac tres quidem  
fornacum species sunt, ita distinguen-  
te *Agricola de re metallica*. Prior *Cal-*  
*caria* vocatur, & ad modum furni  
fabricata est, longitudine decem, la-  
titudine, ubi quam maxime patet,  
septem, & profunditate duorum pe-  
dum. In uno ejusdem latere fossam  
habet sex circiter pollicum, quadra-  
tam, cujus superior facies cum super-  
ficie fornacis in eodem plano jacet, &  
ab eadem prope orificium lateribus,  
novem circiter pollicum latitudine,  
secernitur. In hanc fossam carbones  
suos conjiciunt, quorum flamma o-  
mnem quaquaversum fornacem per-  
transit & à fornice in frittam reflecti-  
tur, cujus superficiem fumus ater  
supervolitans, per orificium calcariæ  
egreditur. Et vitrarius quidem frit-  
tam

tam antea non commovet, quam fumus omnis abierit. Carbones, ut in aliis fornacibus, super ferreis cratibus recumbunt, unde cineres in cinerarium, quod in eodem cum pavimento vel area plano jacet prolabuntur. Vitrarius, quem in officinis vitri vulgaris *Fusorem* vocant, ille est, qui debitum sali, cineribus & arenæ pondus assignat, atque vehementi igne illud efficit, ut in massam coeant, & albedinem acquirant: quod si metallum justo durius, atque adeo fragile sit, sal vel cineres; si tenerius vel mollius, arenam addit, miscendo, usque dum illud temperamentum assequatur, quod non aliter quam operando dignoscitur. Ubi fritta jam præparata est, è calcaria illam eximit, & refrigeratam ad usum seponit. Apud nos frittam aquâ non perfundit, nec lixivio, ut author noster vult, mafacit, sed exactis aliquot diebus operi se accingit, ut ex fritta metallum fiat, idque ubi jam liquatum est, rastro

scar-

scarrit, commovet, miscetque, & ubi  
rastrum incaluit, in situlam aquâ ple-  
nam illud immergit, ne vitrum ei  
adhæreat. Tadicula sal Alkali exi-  
mit, vel metallum ex olla in ollam  
transfert, atque cum suo *Porteglo* vi-  
trum despumat, & exemptâ cum suo  
*Spiei* (ferro, quod in extremitate un-  
cum habet, atque acuminatum est)  
aliquâ metalli particulâ, dispicit, an  
color respondeat, & metallum operi  
aptum fit. Nonnulli ollas in hac for-  
nace suas calefaciunt, ut Agricola.

Secunda vel operaria fornax illa  
est, in quam ollæ reponuntur, & quæ  
focum adjunctum habet atque cine-  
rarium. Hæc fornax rotunda, trium  
in diametro ulnarum latitudine, &  
duarum profunditate, nec non circa  
fastigium fornicata est, ad cuius in-  
ternum latus octo vel plures ollæ, &  
inter has operariæ collocatæ sunt.  
Numerus ollarum pro ratione *Bocca-  
rum* vel orificiorum ad opus desi-  
gnatorum semper duplex est, scilicet

ut

ut operarius quisque ollam unam habeat, metallo repurgato & operi apto plenam, itemque alteram, purgando metallo, dum in opere est, dicatam. In duas hæc fornax divisa est partes, quarum inferior ollas à foco dividit, & in centro suæ superficiei foramen habet rotundum, ferreis cratibus munatum, quatuordecim in diametro vel plurimum digitorum, per quod flamma transiens à fornicatis lateribus & fastigio in ollas reflectitur. Altera & superior pars fornacem à *Leera* dividit.

*Foramina* istiusmodi fornacis hæc sunt: 1. *Bocca*, os vel orificium ergasterii, per quod metallum ex ollis majoribus eximitur, & ollæ in fornacem mittuntur. Hoc orificium operculo obturatum est, quod ex luto & lateribus constat, & removeri, ubi ita visum est, potest, atque huic usui servit, ut oculi operariorum præservari ab æstu foci possint. In medio hujus operculi palmo majus foramen

N  
est,

est, calefaciendis, ubi id opus requiri-  
rit, utensilibus. Ad hanc *Boccam* per-  
tinent *Halsinellæ*, quæ nihil aliud  
sunt, quam *unci* quidam in latere for-  
nacis firmati, in quibus utensilia, dum  
calefiunt, vertuntur & quiescunt.

2. *Boccarellæ* vel *orificia minora*, ad  
utrumque *Boccæ* latus unum, eidem-  
que ut plurimum horizontale, quo  
mediante ministri metallum tintum  
vel magis repurgatum ex ollis, quas  
*Piling-pots* vocant, eximunt. 3. *For-*  
*naces* vel *foramina proxime Leeram duo*,  
quæ in eodem cum *Bocca* plano ja-  
cent, in quibus tartarum, ferrum &c.  
calcinatur. Atque huc *focus* pertinet,  
qui *Tizzonajos* vel *præfurnia duo*, &  
in unoquoque fornaci latere unum  
habet, per quæ minister nocte die-  
que carbones injicit, ut hunc *Vesta-*  
*lem* ignem conservet: & hæc quidem  
*præfurnia lateritia* sunt.

Hi fornaces alibi aliter fiunt, ma-  
jorisque munimenti causa quinque  
vel plures quandoque arcus habent;

tres

tres tamen ad instruendam crystalli officinam necessario requiruntur. Varias earundem formas apud Agricolam de re metall. lib. 10. Libavium Comment. Alchem, part. 1. cap. 20. Ferrant, Imperatum l. 12. c. 14, 15. & Portam l. 6. c. 3. vide.

Fornaces vitri viridis quadratæ sunt, (cum priores sint rotundæ, sed quarum unum arcum Leera occupat) & in unoquoque angulo arcum habent, in quo vasa calefiant.

*Leera* (quæ apud Agricolam tertia fornacis loco est, in qua vasa calefiant & refrigerentur, quæque eandem cum secunda formam obtinet, in qua metallum funditur, & in fluxu conservatur) duas partes comprehendit, quas Angli vulgo *the tower* & *Leer* vocant. *The tower*, vel turris illa pars est, quæ directè supra fornacem fusoriam posita, septo transverso, pedis unius crassitie, ab eadem seceritur, in cuius septi medio, & in eadem cum foramento inferiore per-

N 2 pen-

pendiculari foramen est rotundum  
(Imperatus & Agricola quadratum  
illud & angustum faciunt) per quod  
flamma calorque in fornacem transit.  
Hoc foramen *Occhio* vel *Lumella* vo-  
catur, & annulo cingitur ferreo,  
quem vulgo *Cavalet* vel *Coronam* vo-  
cant; atque in hujus turris area vel  
pavimento vasa, ubi jam formata  
sunt, à vitrario ut calefiant seponun-  
tur. *Boccas* vel orificia ex adverso  
duo habet, per quæ vitra, statim ac  
parata sunt, à ministris furca in pavi-  
mentum turris, & paulo post in pa-  
tellas, quas Agricola argillaceas facit,  
& apud nos ferreæ sunt, & vulgo  
*fraches* vocantur, ac tandem ab homi-  
ne huic operi dicato, quem *Sarole-  
man* vocant, gradatim & successivè  
per universam *Leeram*, quinque vel  
sex cubitos longam, deferuntur, ut  
sensim refrigerescant, id quod in fine  
demum *Leeræ* fit. Orificium *Leeræ*  
in locum quendam desinit, in quo  
vitra, ubi refrixerunt, deponuntur.

Hic

Hic locus *Sarofel*, & ab eodem *Saroleman* is vocatur, qui patellas ferreas,  
*fraches vulgo dictas*, per *Leeram* deducendo refert.

In fornacibus vitri communis duo sibi invicem opposita latera elaborando metallo inserviunt: reliqua duo calcarias adiunctas habent, in quas ignis à fornacibus ascendens per foramina admittitur, coquendæ simul præparandæque frittæ, & evitandi fumi gratiâ. Et ignem quidem intra arcus fornacis suscitant, calefaciendis vasis, totumque opus suum in hac una fornace absolvunt.

Interior harum fornacum facies, non lateribus (statim enim, ut lapides moliores reliqui, in vitrum abirent) sed lapide constat arenaceo duriore, quod genus lapidis Imperatus *Pyromichium* vocat, & *Novo Castello* affertur, albicans, & percusso mutuo ignem reddens. Et hic tamen prædurus lapis trimestri ut plurimum spatio absimitur, aut certè sulcos dicit.

N 3                  Exte-

Exterior vero fornacum facies latitudia est. Calor istiusmodi fornacum longe omnium intensissimus, observatumque à me est, conjectas in hanc fornacem tertio post ignis restinctiō nem die stipulas statim ignem concepisse: retulitque mihi operarius, ignem hujus fornacis altero tanto quam in reliquis fornacibus vehe mentionem esse.

Proximum est, ut de *ollis fusoriis* agamus, quæ argillâ constant, *Purbecko Vectis insulæ* loco allatâ, ex qua pro peto fistulas concinnant. Hæc argilla optimè lota in fornacibus ad hoc opus destinatis calcinatur, & molâ in pulverem tenuem redigitur, qui pulvis aquâ mistus nudis pedibus calcando in debitam consistentiam cogitur, manibus in certam formam deducitur, formatus convenienti loco fuccatur, & postea in vel super fornace incalescit. Sed quæ vitro communi inserviunt ollæ ex argilla *Nonsucho* allata fiunt, sed cui admista sit ex

*Wor-*

*Worcestriae Comitatu* alia , ut quæ  
ignem quam simplex *Nonsuchana* me-  
lius fert. Hæ ollæ metallo adimplen-  
tur, & in eodem cum *Bocea*, vel ori-  
ficio plano consistunt.

In crystalli fornacibus duo olla-  
rum genera in usu sunt: unum majus,  
trecentas vel quadringentas metalli  
libras continens , crassitie pollicis , &  
in fundo pedes prope duos latum,  
totidemque profundum , sed quod  
circa apicem in latitudine pollices vi-  
ginti obtinet. Alterum minus, quod  
vulgo *Piling-pots* vocant , quia ollis  
majoribus incubit , quæ metallum  
excoctum & tinctum continent.

Postremum operis erit videre mo-  
dum elaborandi vitrum , quem addi-  
tis nonnullis ab *Agricola lib. 2.* de re  
metall. mutuabimur. Minister , ubi  
metallum satis excoctum est , ferrum  
cavum in ollam demittens , idque  
nonnihil versans , quantum operi,  
quod intendit , sat est , recipit ; me-  
tallum ferro glutinosi atque tenacis

N. 4. succi

fucci instar, & haud aliter, quanquam firmius, ac terebinthina vel theriaca, ubi à mercatore ex olla depromitur, adhæret. Figura quam ferro adhærens obtinet, orbicularis est, & minister illud, dum fervet, hinc inde super marmore versat, ut partes tanto firmius adunentur: quo facto ferrum cavum leniter inflat, & metallum ab anima haud aliter atque vesica intumescit, Quoties ferrum inflat, id quod sæpiissime fieri necesse est, toties remotum derepente ab ore ferrum maxillæ admoveat, ne flammam spiritu reducto attrahat: mox fistulam sublatam circum caput aliquamdiu rotans, vitrum prolen-gat, refrigerat & si opus sit modulis & marmori fundum ejusdem impri-mit, eoque peracto vitrario illud offert, qui leni vi collum ejusdem, vel partem illam, qua ferro adhæret, ab-rumpens, eandemque vitro communi addicens, cum suo ponteglo vitrum fi-gendo glabrum reddit, & cum passa-

go

go suo globum format, atque cum procello capacitatem ejus concavitatemque adaugens, & cuncta complanans, forfice quicquid redundant amputat, atque ea ratione inflando, premendo, subinde calefaciendo, amplificando, refecando illam, quam mente concepit, figuram format, & si usus requirat, pedes affingit, & cum suo *Spiei* marmor & undas representat: quibus peractis minister opus ferreâ furcâ prehensum drepente in turrim, ut calefiat, defert, & per gradus ascendens in loco convenienter collocat, ne temere vagando offendens, hoc mercimonii genus fragile & tenerum, ac nisi calefiat per se ruiturum, corrumpat. Quot vitrarii, tot ollæ, totidemque foramina vel Boccæ adsint, necesse est: quisque enim propriam suam stationem habet, ubi fervidum illum calorem excipit, qui rectâ in faciem, os & pulmones eorum delatus, in causa est, cur veluti *Cyclopes* & nudi membra

N 5. Pyr-

*Pyracmones* subculâ vestiti opus suum peragere necesse habeant, caput, ad arcendum nimium calorem & lumen, late fimbriato stramineo pileo tegentes. In largis & latis ligneis sellis resident, quæ longos cubitos habent, à quibus instrumenta artis dependent, ea ratione firmata, ut moveri non possint. Sex horis operantes, unico vitro tempus dimetiuntur, exactoque illo spatio alii succedunt, qui ubi dimensionum suum absolverunt, locum denuo dant prioribus; ita fit, ut nunquam, dum in statu est, vacua sit fornax, nisi vel vitium ollæ fecerint, vel metallum fluere desinat. Libavius observat, illos maximam partem esse pallidos, siticulosos & brevis ævi, idque ob colliquationem, & vitia capitum & pectoris; & quia corpus habent infirmum & debile, facilime vino inebriari & cerevisiâ, qui verus eorum character est.

N O 4

N O T Æ  
I N  
*Librum Primum de*  
**Arte Vitraria.**

C A P. I.

**A**bsolutis illis, quæ necessario præmittenda erant, ad textum ipsum accedimus.

*Pulvisculus vel Rochetta* unum idemque denotant, nec quicquam aliud sunt, quam cineres unius ejusdemque plantæ, sed bonitate differentes, quemadmodum apud autorem nostrum diversis in locis apparet. Posterior nomen nostris officinis plane ignotum est, ac ne Morani quidem distinctionem ullam recipit. *Pulvisculi* nomen usu receptum, omniue cineri commune est, qui ex Oriente in usus vitrariorum advehitur. Ratio diversitatis mihi hæc esse videtur, quod pulvisculi nomine id venit,

N 6                    quod

quod in forma pulveris advehitur; & contra nomine Rochettæ, quicquid frustulentum, vel lapidis instar durum est. Et certè inter operarios experimento constat, ex frustis maximè duris & majoribus sal prodire candi dius, acriusque, quam ex pulvere & frustulis minoribus. Cœterum idne ob diversitatem plantæ, & diversum ejusdem crescendi, colligendi, urendique tempus & modum, an vero ob sophisticam admitionem heterogenei salis vel aquæ salsæ, aut alterius humoris, quo multum læditur, fiat, id in medio relinquo. Illud constat, ut sal producatur acerrimum, & quod in dura & lapidea frusta coeat, lixivium illos parare ex cineribus primum ustis, quo herbas porro comburendas conspergunt: quâ ratione singulis vicibus novum lixivium aspergendo, cineres parant pro smegmatopæis & & tinctoribus longe acerrimos. Ubi nam autem hic modus faciendi Rochettam inventus, & cur nunc minus

in.

in usū sit, affirmare non ausim.

*Ex Oriente & Syria:* Syria Orientis pars est. Nunc autem hi cineres ab Alexandria & Tripoli advehuntur.

*Herbæ cujusdam* Hæc herba ab autore in epistola *Kali* vocatur, quo nomine etiam apud alios plerosque venit, non tamen sine aliqua levi variatione. Alpino l. de plant. Ægypt. *Kalli* & *Kallu*; nonnullis *Cali*; Gesnero *Alkali*; Lobelio *Soda*; Dodoneo *Salicornia*, & Gallicè, nec non in hist. Lugd. *Salsola*; Cameratio, Cordo, & maxime Fuchsio & Lusitano *Anthyllis* *Dioscoridis* vocatur, id quod Mathiolus in apologetico contra Lusitanum solide refutavit, affirmans hanc plantam crescere circa Tergestum Mauritaniae. Postremo *Anthylloides* vocatur apud Thalium. Nomina *Sodæ*, *Salicorniæ* & *Salsolæ* manifestè derivantur à sale, quo vehementer abundant. Ita de antiquitate notitiæ, & nominibus hujus plantæ eruditus noster popularis D. Turner in suo herbario.

rio. Quod sciam, nomen Anglicum  
hæc planta non habet, & quanquam  
pluribus in locis abundè apud nos  
crescat, invenire tamen neminem po-  
tui, qui illam nosset. Ut aliquod ta-  
men nomen inveniat, *Salt-Wurt* vo-  
cetur, quia sal gustu refert, vel *Glass-*  
*Weed* quia cineres ejusdem parando  
vitro inserviunt. Parkinsonius refert,  
illam à nostratis *Froggrass* & *Crab-*  
*grass* vocari, forte quia his animalibus  
nutrimentum præbet, cum succum  
habeat substantialem, nec ingratam  
palato falsedinem. Gasp. Bauhinus in  
sua Pinace decem ejusdem species re-  
censet, quarum nomina & descriptio-  
nes, quia hujus loci non sunt, omitti-  
mus, trium tantummodo mentione  
facta, ex quibus referente Alpino  
cap. 42. Alexandrini & Ægyptii re-  
liqui suum pulverem in usus vitri &  
smegmatis parant. Prima species *Kali*  
*geniculatum*; secunda à nonnullis,  
apud Alpinum *Anthyllis*, sed *Kali re-*  
*pens Neapolitanum* à *Columna* voca-  
tur,

tur, qui hanc plantam Neapoli à se inventam designat, describit, & usibus vitrariorum inservire dicit. Tertia species Ægypto magis propria est, & ab eodem authore *Kali Egyptiacum*, foliis valde longis & hirsutis vocatur. Præter has tres species vidi, & penes me habeo quartam ejusdem speciem, ex cadis pulvisculi receptam, & à Botanicis *Kali spinosum* dictam. Harum prior & posterior (si minus & minimum excipias) prope nostrum Thamesin, & in locis Angliæ maritimis, (non aliis Septentrionalioribus) copiosè crescit. Cœterum nostrates ex hoc *Kali Spinoso* cineres in usus crystalli aut alterius vitri parare nolunt, & experimento in domo vitriorum facto compertum est, herbam hanc candidi ferro impositam, in fumum abire, nullo aut exiguo sale relieto: cum ècontra Kali ex Oriente adveatum, eidem ferro inditum, propere maximam sui partem in cineres nigricantes salsos, quod ei proprium est,

est, abeat. Hoc Kali ustum vermis  
instar sese contrahit, flamمام diu  
servat, & sal reddit acre admodum  
candidumque. Nostrum Kali colle-  
ctum, gustu aquam marinam & plane  
falsum quid refert, ac si locis humidis  
affervetur, seipsum contrahit, id quod  
Salgamarius mihi notus suo damno  
expertus est: qui loco crithmi illud  
sibi comparaverat. Cum enim illud  
lavisset, & in acre acetum immerfi-  
set, ut in muriam abiret, parum ejus-  
dem superesse deprehendit, consum-  
tis ab aceto fere omnibus. Atque  
ingens hæc plantarum respectu na-  
talis soli differentia, non in hoc no-  
stro Kaly magis quam in aliis mani-  
feste percipitur, in peto scilicet, quod  
ab eodem semine nascitur, nec non  
Canariensi & Rhenano vino, quod  
ab eadem vite provenit, ut & in ci-  
cute Græcorum & alterius regionis,  
pluribusque aliis: atque hac eadem  
ratione pulvisculus à Soda secernitur.  
Hæ diversæ Kaly species, utut natu-  
rali-

raliter ex aquis proveniant, & prope falsos lacus naturaliter florent, in mediterraneis tamen Hispaniæ & Ægypti locis feruntur, id quod dubio procul in calidis hisce regionibus ad quantitatem, acrimoniam & fixationem salis plurimum facit: in Ægypto præsertim, quæ pluviam nunquam sentit, sed anni spatio semel à Nilo Fluvio irrigatur, qui fangi luteique plurimam post se relinquit. Et hæ Kali species circa æstatis medium, ubi quam maxime vigent, refecantur, & calore solis siccatae in strues colliguntur, nec non super ferreis cratibus comburuntur, decidente in foveam, & in lapides vel massam duriorem coeunte cinere, qui deinde collectus servatur, & testante Lobelio *Soda* nomen recipit. Quando hæc planta in usum deduci cœperit, incertum est Primi qui eandem noverint, eidemque nomen suum imposuerint Arabes fuere, id quod addita particula Al, quæ mere *Arabica* est, satis de-

demonstrat. Inter hos mentionem ejusdem factam invenio apud Serapionem & Avicennam Physicos, qui eandem contra calculum, ulcera & oculorum incommoda commendant. Lobelius putat, nos plantam ipsam ejusque nomen & rationem præparandi debere Græcorum & Arabum recentioribus Philosophis, qui Chymiam exercentes circa vitrum occupabantur Advers. pag. 169. Sed Græcos, & Græcorum de hac planta notitiam quod attinet, aliter sentio. Nulla enim ejusdem apud Græcorum Physicos, aliosve scriptores mentio fit: præterea nullum in Græca lingua nomen obtinet: ideoque sine dubio ab Arabibus aut recentioris ævi hominibus notitia ejusdem ad nos deducta est.

*In emenda.* Optima & expeditissima ratio cognoscendi qualitatem cineris hæc est, trutinâ qua smegmatopæi utuntur. Cineres in aqua limpida dissolvunt, & filtratum lixivium

exa-

examinant, & cognita lixivii quantitate, factaque comparatione inter pondus aquæ & cinerum antequam dissolverentur, inveniunt, quantum salis data cinerum quantitas contineat.

*Lebeteænei.* Author noster ubique improbat usum æris, nisi si viridem vel cœruleum colorem parare velimus. Et certe acria hęc lixivia non-nihil æris absumunt, vel humiditas æris & lixivii partem ejus aliquam in æruginem convertit. Quare nostrates vasis utuntur intus plumbo obductis, qualia illorum sunt, qui alumena excoquunt.

*Tartarum.* Tartarum ab autore nostro *Greppola & grumè de i botti* dictum, revera fex vini, & à tartaro ipso distinguenda est, quia tartarum semper lateri vasis adhæret, atque in frusta duriora concrescit, nec unquam testante Helmontio in regione fecum invenire est, cum econtra feces nunquam non in fundo vasis inventian-

niantur, humidæ; & tenuium particularum. Tartarum vini rubri ad hos usus optimum est, & sal continet magis quam vini albi acre & copiosum. Calcinatur, ut quicquid heterogenei admixtum est absumentur, & sal candius evadat, tantoque citius in aqua dissolvatur & tanto facilius è pulviculo extrahatur, cuius corpus tartaro recluditur, haud secus atque nitri corpus, dum aqua fortis vel spiritus nitri sit, ab alumine & vitriolo appetitur, id quod citra istiusmodi additamentum non procederet. Et eandem ob causam tartarum aquâ dissolvendum est, antea quam pulvulus in vas mittatur. Tartarum suum in fornace sex horarum spatio calcinant, usque dum albedinem contrahat, cum experimento constet, id genus calcinationis plus operari, quam si arctiore temporis spatio absolvatur. Quantum autem momenti sit extractio humidatis ex tartaro, id secreta Chymicorum nonnullorum procedendi ratio.

tio demonstrat. Nimirum, ut crystallum, vel cremorem tartari majore copia & magis candidum faciant, tartarum grosso modo comminutum calcinant, vel potius in fornace & patellis stanneis probè siccant, quâ ratione tremor multo melior evadit, quam sine hac exsiccatione & moderata calcinatione. Sal fundum vasis petit, & ligulâ eximendum est, ita ut humor omnis in vas decidat. Ubi feces lixivii jam sident, siphone detrahuntur.

## C A P. I I.

*Tarsum.* Alterum materiale, quod vitro consistentiam, corpus & firmitudinem dat arena vel lapis est, non aliter ac ferrum chalcantho Anglico; cuprum Hungarico, Dantiscano & Romanorum vitriolo, id quod alias loco & tempore humido in aquam abiret. Et lapides quidem quod attinet, Agricola lib 12. ait liquefentes, si candidi fuerint, cæteris præstare: quibus

quibus de causis crystallo primæ debentur: ex his enim fractis in India fieri vitrum usque adeo translucidum ut nullum cum eo comparari possit, autores esse Plinius scribit: secundas tribuunt lapidibus, qui tametsi eis duritia crystallorum non sit, tamen simili modo candidi sunt & translucent: tertias dant his lapidibus candidis qui translucidi non sunt. Post tarn sum autor noster Quocoles commendat, quos Ferant. Imperatus l. 24. c. 16. sic describit: *Lapis vitrarius, marmoris candidi speciem refert, nonnihil translucens; sed duritie ab eo difert, quam silicus instar habet, unde percussus scintillat, & conjectus in ignem non calcinatur.* Hic lapis frequenter aliquid ex dilutiore viridi secum trahit, serpentini lapidis instar. Reperitur in propriis suis locis, admixtis venis, crustati talci. Projectus in ignem pelluciditatem suam amittit, & candidior leviorque fit, ac postremo in vitrum transit. *Vitrariis materiam vitri præbet*

bet & Cuogolo vocatur: in fundo enim fluviorum & torrentium eundem colligunt, testacei lapidis forma. Et hos quidem Morani in usu esse autor noster ait. Extra controversiam est, lapides omnes candidos & translucentes, qui in calcem non abeunt, vitro inservire. Autoris tamen nostri axioma universaliter verum non est: neque enim lapides Novo Castello allati, quorum in discursu de fornacibus facta est mentio, nec silices igniarii, nec lapides illi quibus pavimenta constant, pluresque alii, qui chalybe percussi vel ungula equi ignem reddunt, nec rhedarum rotæ huic proposito inserviunt. Silices revera omnes illas proprietates obtinent, & si calcinentur, & in pulverem minutissimum & impalpabilem redigantur, atque perfectum angustissimum trajiciantur, metallum redundat crystallinum, longe omnium purissimum & nitidissimum. Sed maximus in præparandis illis labor dominos

minos fornacum deterruit ab usu eorum.

Deficientibus aptis lapidibus succedit *arena*, & secundum ea quæ autor noster narrat, prior in usu fuit: *Candida*, minuta & bene lota sit oportet, antea quam operi admoveatur: atque in hoc omnis præparandi ratio consistit. Reperitur ut plurimum in ostiis & circa latera fluviorum. *Crystallus arenam* requirit teneram, mollem & candidam: vitrum commune magis duram & scobi similem desiderat. Ingens in hoc materiali varietas est: alia enim prompte liquatur, & cum cinere mixta in vitrum abit. Joseph. l. 2. c. 9. de bello Jud. de arena mirabilia narrat, quorum hæc summa est: *Ptolemaidem Galileeæ Belus fluvius præterlabitur*, qui Carmelo monte *Ptolemaidem inter & Tyrum oritur*. Prope hoc exiguum flumen *Memnonis statua est cui spaciū adjacet cubitorum fere centum. & admiratione dignissimum. Vallis enim hic est in speciem rotunda, arenam vitro*

vitro præbens, quæ si à navibus ibidem congregatis exbauriatur, locus vacuus statim denuo repletur. Venti siquidem, ut verisimile est, de circumstantibus superciliis arenam buc convehunt. Locus autem metalli statim in vitrum quicquid suscepit mutat. Mirabilius autem mihi hoc videtur, quod jam conversæ arenæ in vitrum, quæcunque pars super margines loci illius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuo convertitur. Et Tacitus historiarum quinto; *Belus mare Iudaicum intrat, cuius ostium arenæ collectæ, (ita Lipsius non conjectæ) quia nitrum admistum habent, in vitrum excoquuntur Exiguum littus sed inexhaustum illud est, à quo suppeditatur.* Idem Strabo docet, l. 12. Plin. l. 6. Agricola de fossil. & quotquot de vitro scribunt autores illius loci mentionem faciunt, unde arena deponitur. Nostrí Londinenses vitrarii arenam habent admodum candidam, illius generis, quo vulgo literas recens scriptas conspergimus, vel utensilia tergemus,

O quæ

Maidstonio Cantii advehitur; itemque aliam, quæ vitro communis inservit, & Wolwicho advehitur: Prioris generis arena cum metallo vitri ordinario misceri non vult: posterioris, cum navibus advehatur, exiguo venit.

Cardanus lib. 5. de variet. *Magnesiam* addit, eamq; *sydeream* vocat, ceu tertium ingrediens: *Ex tribus*, inquit, *vitrum constat, lapidibus nimirum, vel arena, sale Cali, & syderea.* Atqui exigua Magnesiæ quantitas addita metallo parum ad rem facit. Præterea non in omni promiscue vitro Magnesia locum habet.

### C A P. III.

Docet, quomodo sal secundum communem Chymicorum methodum beneficio solutionis, filtrationis & coagulationis figatur.

### C A P. V.

*Resecanda.* Plantæ in universum omnes

omnes suo quævis tempore resecande atque colligendæ sunt, nimirum ubi jam maturuerunt. Tempus tamen omnium, sive caules earundem, sive folia desideres, optimum, idemque Chymicis operationibus, & extrahendo ex vegetabilibus oleo spiritibusque commodissimum illud est, quod maturitatem earundem paulo antecedit: duplo enim tunc major quam alio tempore quantitas extrahitur. Sal autem tunc melius extrahitur, ubi semen produxerunt, id quod filici circa hæc tempora accidit. Vulgaris error est, filicem, aliasque herbas capillares non producere semen, cum tamen illud ab interiore foliorum latere producant copiosum pulverulentum & nigricans. Quin ipse etiam muscus semine abundat, id quod certum genus non descriptæ, & in horto meo sicco conspicuæ chamæpeuces evidentissime demonstrat, in cuius ramis, & inter unumquodque folium ejusdem copia teminis rotundi & ni-

O 2

gri-

gricantis invenire est. Quantum pro ratione tempestitatis anni vegetabilia differant, hi qui globulos pro thoracibus ligneos formant optime norunt, qui pyrum æstate, illicem hyeme dejectam operi aptissimam esse prehendunt. Buxus circa festum Paschatos durissimæ, tenerior æstate est. Oxyacanthus circa Octobrem, foribus æstate mitescit.

## C A P. VI.

Plantas enumerat, quæ sal reddunt vitro aptum. Uno verbo: Nullum non vegetabile vitro aptum est, quod copiam subministrat Alcalisati salis. *Sal alcalisatum Chymici* illud vocant, quod ignem fert vehementiorem, nec avolando evanescit in auras, denominatione facta à Kali, id est sale extracto ex Cali. Et horum nonnulla hoc capite recenset. Nostrum Kelp à Cali sic dictum, & cineres smegmatici crystallino metallo inserviunt. Kelp maximam partem ex planta marima fit,

fit, quam *Seathongs* vel *Laces* vocamus, de qua Joh. Bauhinus l. 39. c.2. de hist. plant. *Alga angusti folia vitrarium*, si paulo postquam collecta fuerit, ita ut est humida, diutius aliquanto servetur, in superficie foliorum attentius spectanti, sal exhibebit candidum.. Matthiolus in *Dioscoridem* hanc *algam vulgarem Venetorum* vocat, non tantum ob dictam rationem, sed etiam, quia Veneti vitra sua, quæ in exteris regiones transmittunt, hac alga vesiunt. Et sane hæc rejicula, cum tempestuosum est mare, *scopulis illis* refunditur *alga*, juxta Virgilium, & copiose per scopulos dispersa, in ipso littore, ab incolis illius loci æstivo tempore colligitur, & pro re nata sæpius circumacta, sœni instar ad solem & ventos siccatur, combustaque cineres reddit, alumini non minus, quam vitro inservientes, quos *Kelp* vocamus. Neque hæc solum per omne nostrum mare copiosissime dispersa, sed omnis in universum *alga*,

O 3

&amp;

& fucus, & quercus marina, aliæque plantæ marinæ sal copiosum continent. Cineres smegmatici è Polonia & Russia, nec non Anglia nova adveniuntur, & maximam partem ex abietis & strobili cinere parantur. In vitri communis usum apud nos omne genus cinerum coemunt, ab his, qui potissimum Anglię partem illius mercimonii causa peregrinantur. Optimam tamen & acerrimi in Anglia cineres ex carduis vulgaribus fiunt, quam omne genns carduorum huic rei inserviat. Proximum à carduis locum lupulus occupat, caules scilicet & germina ejusdem, postquam flores collecti sunt: atque hęc omnia nuperæ inventionis sunt. Morus inter arbores optimum sal reddit, nec non genista spinosa, & post hanc Oxyacanthus & kali spinosum inter plantas marinas, ut jam spinosę & aculeatæ plantæ optimum in suo genere & copiosissimum sal reddere videantur. Succedunt herbæ amaræ omnes, lupulus

pulus scilicet, absynthium, Carduus benedictus, Centaurium, Gentiana, Abrotонum, Tanacetum, Glaustum, &c. quarum cineres copiosè & exiguo sumtu parari possunt. Adde petum, cuius caules collecti & combusti plurimum salis reddunt, unde non exigua lucri spes affulget, sed cum aliquo soli detimento. Mercator quidam mihi retulit, obtulisse sese Carolo primo Regi, suo se sumtu exstrutum, & sarta tecta servaturum aliquot tempora, constitutâ in unum quodque eorum annua dote libraria centum, tantum ut sibi cederent trunci vel caules peti in Virginia nascientis, demonstrabatque quantum inde ad se emolumenti redditum fuisset. Proximus post petum locus leguminum plantis debetut, quales sunt pisa, fabæ, &c. quæ aliquam cum reliqua tribu affinitatem habent; Specialiter, lupini, vicia, ciceres & lentes, quorum hi nuper in Comitatu Oxiensi copiosè admodum, alendi pe-

O. 4<sup>o</sup> coris.

coris gratia feri cæperunt, & experientia teste huic negotio inserviunt. Adde inter lacteas plantas omne genus tithymali, vel cataputiorum, & ficum arborem, quæ omnia inflammandi vim habent: nec non farmenta, & sonchum nonnihil aculeatum & flore declivi, in quo ei cum carduis convenit, & succum instar tithymali lacteum habet. Porro hæc fixa salia quod attinet, notandum est, optima esse ea, quæ à terra & omni heterogeno corpore quam maxime libera sunt, nec non in frusta duriora & candida coierunt, & gustu insignem acrimoniam præ se ferunt. Secundo optimos cineres, puro puto sale plenos, in calcaria citissime dissolvi. Tertio eos cineres vegetabilium optimos esse, qui vigentibus illis, & ex eorundem maxime insignibus ramis facti sunt. Atque hinc Chymici *cineres clavellatos* denominasse videntur, quasi *clavo latos*, à *clavola*, qua de re Varro l. 1. de rust. c. 40. In *oleagineis seminibus*

*bus videndum, ut sit de tenero ramo ex  
utraque parte æquabiliter præcisum,  
quos alii clavolas, alii taleas appellant,  
& faciunt circiter pedales. Ubi Cla-  
volam interpretatur tenerum ramum.  
Nonus legit Clavula, eamque definit  
esse refectionem ligni, Id certum est  
Clavolam vel Clavulam descendere à  
clava, quæ vox Anglicum nostrum  
Club sonat. Quarto salia hæc in sicco  
& procul ab omni humore servanda  
esse: Valde enim hic noxius humor  
est. Postremo horum cinerum alios  
aliis candidius vitrum reddere. Quer-  
ni cineres vitrioli naturam induentes,  
vitrum obscurius reddunt: Cineres  
fraxini & Oxyacanthi, quorum sal ad  
nitri naturam accedit, metallum red-  
dunt candidius.*

Agricola hac ratione ex sale vitrum  
facit: primas nitro; secundas sali fos-  
fili candido & translucido; tertias sali  
*ex cinere anthyllidis aut alterius her-  
bæ salsæ facto* defert.

*Nonnulli inq: primas cineri anthyllidis,*

O 5 non

non nitro deferunt, quo deficiente vitrum faciunt ex duabus partibus cineris quer- ni vel lignei vel roborei vel cerrei, aut si hi in promptu non fuerint, fagini vel abiegni, cum una sabuli vel arenæ parte, addito modico sale, ex aqua salsa vel marina facto, & exigua magnetis parti- cula: sed isti minus candidum & trans- lucidum vitrum conficiunt: verum ci- nis ex antiquis arboribus fit, quorum truncus, ubi assurrexit ad altitudinem sex pedum, cavatur, & injecto igne ar- bor tota comburitur, ac in cinerem con- vertitur: quod fit byome, cum nives diu- tinæ cessant, vel æstate cum non pluit: nam imbres aliis anni temporibus, quod cineres cum terra misceant, impuros red- dunt, quamoibrem tunc ex iisdem arbo- ribus in plures partes sectis & sub tecto combustis cinis confiat. Hactenus Agri- cola. Cœterum tempore & expe- rientia usus nitri & salis fossilis exole- vit, & primas pulvisculos obtinuit: nimis enim hæc mollia & teneriora sunt, cum vitrum requirat sal lixiviale & fi-

& fixum, quod gustu acre & causticum sit, & pinguedinis parum habeat, qua nitrum & sal fossile abundant, id eoque maximam partem in sal alcali resolvuntur, cui nitrum gustu & pinguedine affine est. At vero Agricola aliquique male mihi Plinium cœpisse videntur, qui nitrum huic alcolisato sali præponunt: ita enim lib. 31. c. 10 *Quercu cremata nunquam multum nitrum facilitatum est: & Virgilius eodem ut videtur sensu priore Georgiorum:*

*Semina vidi equidem multos medicare  
serentes  
Et nitro prius, & nigra perfundere a-  
murca.*

Quod genus agriculturæ antea ex-  
presit, inquiens:

*Arida tantum  
Ne saturare fimo pingui pudeat sola:  
neve  
Effætos cinerem immundam jactare per  
agros.  
Et ultimi quidem hi versus manife-  
O 6 est*

**A**te evincunt, sale stercorari agros; ideoque nitri vox in priore versu necessario denotat vel sal extractum ex cineribus, vel cineres ipsos, in quibus sal latet: eodemque respiciunt hi versus in eodem libro:

*Sæpe etiam steriles incendere profuit  
agros,*

*Atque levem stipulam crepitantibus ure-  
re flammis.*

Qua combustionē stipulae præter sal nihil producitur, cuius natura est destruere inutiles herbas, quæ diu & altius radicatae recens satis omne nutrimentum adimunt, solumque redundunt sterile, & semen absunt: ut taceam sale & cineribus vermes necari, qui grana frumenti depascunt. At nitri frigiditas, affirmante Dn. Baconne, satis omnibus inimica est. Præterea eruditus Cæsalpinus lib. 3. c. 23. de metall. cineres Kali, genus quoddam nitri vocat. His adde in partibus Angliae occidentalioribus algas hasce, ex quibus *Kalp* vel *Kuip* constat,

stat, inservire agricolis ad stercorandum agrum, id quod Ferr. Imperato teste apud illos qui mediterranea inhabitant frequens est. Nitrum tamen ex aqua marina, nec non quibusdam vegetabilibus extrahi potest, sed in fornacem missum maxima sui parte in sal alkali resolvitur.

## C A P. VI.

*Sal ex calce muraria.* Apud nos in usu non est, sed nonnunquam in vetustis muris reperitur, ideoque *paretonium* vocatur, & multo quam sal ordinarium acrius est. Non exiguum ejusdem frustum inter cimelia mea asservo, plane diaphanum, & alumini similimum, nec non gustu ut sal acre. Ferr. Imperatus sal commendat factum ex crustaceis, testaceisque, ut sunt ostrea, & cancri, ex quibus sal optimum in usus vitri extrahitur: & experientia didici, calcem, quâ cémentarii in Hollandia utuntur acerrimi salis plurimum contine-

tinere. Cœterum, hoc sal, utut vitrum reddat plane candidum, minus tamen quam illud quod ex Cali fit pellucidum est, & maximam partem in sal alkali abit.

## C A P. VIII.

*Frittam* Fritta videtur derivari à Frittare, quod idem est quod Frigere: *Fritta* enim nihil aliud est, quam sal, cineresve cum arena frigendo concreti, quam etiam ob causam Angli totam illam massam, quæ ex fornace calcaria educitur, *a batch*, id est frictum vocant. Et secundo, Fritta ubi liquefcere cœperit, in massam frictilarum instar coit, quas Itali *Frittelli*, Angli *little frits* vocant. Antiquitus à nonnullis *Hammonitrum*, ab aliis commodiore etymologia *Ammonitrum* vocabatur, voce composita ab ἄμμῳ arena, & βίτρῳ vitrum: ita enim Plinius lib. 36. cap. 26. *Arena alba in Vulturno mari nascens, miscetur tribus partibus nitri, pondere vel*

men-

mensura, ac liquata in alias fornaces transfunditur. Ibi fit massa, quæ vocatur *Ammonitrum*: atque hæc recordatur, & fit vitrum purum, ac massa vitri candidi. Et expressè magis Cæsalpinus: *Ex arena & nitro fit massa, quam Plinius Hammonitrum appellat;* *bodie Fitta dicitur.* Atque hæc frittas faciendi ratio id efficit, ut ingredientia optimè commisceantur, & supervacuus humor, si quis adsit, evaporando consumatur. Fitta vitri communis, quæ materiam habet minus politam, pro ratione bonitatis & teneritudinis cinerum & arenæ, decem vel duodecim plus minusve horis absolvitur. Nobis tres frittarum species in usu sunt: Primo *crystalli* ad opera crystallina, ex sale pulvisculi & arena. Secundo *ordinaria*, ex meris pulvisculi vel Sodæ cineribus, nulla salis extractione præviâ facta. Tertio *communis*, in usum vitri viridis, quæ ex promiscuis cineribus, sine omni præparatione fit: vel cineribus in

in pulverem tenuiorem redactis ad-  
ditur arena duriuscula à *Woolwyco*  
*Cantii* petita.

Materialia in tenuissimum pulve-  
rem rediguntur, lavantur, cribran-  
tur, commiscentur, & in ignem cal-  
cariæ fornacis missa, exactè & per mi-  
nimas particulas minutissimosque ato-  
mos uniuntur. Secus si fieret, sal &  
arena, dum liquantur, diversa corpo-  
ra constituerent, id quod etiam ser-  
vatis his regulis facilimè contingere,  
nisi rutabulo frequenter agitarentur.

In mortario *lapideo*. Magis expe-  
dita ratio est, qua nunc utuntur.  
Massam cinerum duriorem, nec non  
magnesiam & zafferam calcinatas; ar-  
gillam item, & sal molâ terunt, quam  
jumenta versant, quæ lapidem mola-  
rem marmoreum habet, latum no-  
vem vel decem pollices, & septem vel  
octo pedes in diametro profundam,  
circumagiturque in pavimento æque  
marmoreo, in quod comminuenda  
quæque deponuntur: atque hac te-  
ren-

rendi ratione unius diei spatio plus efficitur, quam viginti homines tundendo effecturi essent.

Nos frittam aqua non perfundimus, nec lixivio irroramus, sed, si quidem ita res ferat, opus intra paucos dies in olla absolvimus: Irrationem tamen illam ad puritatem vitri multum conferre necesse est.

### C A P. I X.

Tantum *magnesia*. In causa est diversa colorum qualitas, quorum alii pleni, alii dilutiores sunt. Jam magnesia & zaffera tantum bonitate differunt, ut hæc paupercula, illa dives admodum; alia inter utramque media sit, id quod nec à vitrariis nec figulis, utut in sua arte exercitatissimis nisi examine fornacis prævio di-judicari ulla ratione potest. Præterea, quæ ex iisdem ingredientibus uno eodemque procedendi modo præparantur metalla, colores mutant, pro ratione ollarum, in quibus excipiuntur.

quuntur. Quam ob causam vitrarius colores suos non pondere nec mensura, sed sensim & per intervalla admiscens, metallum subinde commovet, & experimento facto de qualitate coloris oculi judicium sequitur, & si quidem nimis dilutus sit, quod visum est addit, usque dum id quod intendit assequatur.

*Fornax lignum requirit aridum.* Author noster perpetuo querum commendat, ut quæ ignem alat vehementem & flammam durabilem. Ferr. Imperatus lib. 14. cap. 16. ait, *vitrarium, dum in opere est, quia vivida magis & substantiale, quam ingentemflammam amat, fraxini truncis uti, quorum flamma in vorticem fornacis recta pertingens, vim suam ollis ipsis communicet.* Fraxinus certe ignem præbet luculentissimum, sed qui cito deficit, & nisi assidue instauretur, metallum nec liquatur, nec operi aptum est. Camerarius in horto non sine causa juniperum commendat, si modo

do copia ejusdem daretur. Haud satis capio, quid Plinius sibi velit, inquiens: *Levibus vitrum aridisque lignis coquitur*: nec quomodo Plutarchus audeat dicere, *tamaricen vitro formando aptissimam esse*: neque enim ignis istiusmodi, qualem vitrum desiderat, istiusmodi lignis excitatur. Temperare mihi nequeo, quin adducam effectum ignis, memoratum ab Arabibus Physis, eorumque lectoribus: nimirum vitrum ustum, si spongiam calcinatam admisceas, frangere calculum vesicæ & renum, nec non externa ulcera sanare. At vero modus urendi vitrum, qualem ipsi describunt, plane ineptus est, cum satis constet, ignem vel validissimum, & maxime perennem, id quidem efficere, ut in fluxu permaneat vitrum, ut vero in pulverem redigatur nequaquam.

*Sal expuat. Sal Alkali, Gallis Suin de verre, id est pinguedo vitri, & Anglicè per contractionem Sandever dictum.*

& tum. Plane candidum hoc sal est & gustu nitrum refert, & ab aere ac humiditate loci facilime dissolvitur. Nostrates vitrarii metallum in aquam non projiciunt, ut sal ab eodem separetur, sed ligulâ illud excipiunt, cum in superficie metalli natet. Nisi enim despumando separetur, vitrum operi minus aptum, & maxime fragile, minusque lentum redditur. Olla continens libras bis centum metalli optimi, salis alcali pondo quinquaginta reddet; quantoque sal magis ignavum, magisque languidi cineres sunt, tanto salis alcali copia major prodibit, ita ut metallum aliud ab alio quinta vel sexta parte superetur, & si vitrum commune & cineres pravifint, vitrarii ob nimiam salis alcali copiam quinquies vel sexies ollam cineribus impleant necesse est, ut tandem metallo adimpleatur, ac dum salis alcali quidquam in olla reliquum est, vitrariis non licet frigidam suffundere, ut ebullitionem vitri impediatur:

id

id enim si facerent, olla simul & fornax cum impetu dissiliret. Sal alcali efficit, ut metallum fluat, & exigua ejusdem quantitas, cum antimonio & nitro mista, dum crocus metallorum fit, quantitatem croci adauget, atque hoc efficit, ut à scoria facilius separetur. In Galliis copiosè prostat, & incolæ eodem utuntur loco salis communis, ad condiendum cibum potumque. Solutio ejusdem erogata in semitas hortorum, vermes necat & herbas inutiles.

*Collum.* Colla vocantur reliquæ illæ vitri, quæ cannis ferreis semper adhærent, quas antea quam metallum recens ex olla promant, decutiunt, & loco ad hoc destinato sepount, ex quibus deinde tritis & metallo additis nihil præter vitrum commune purissimum fit, etiamsi ab optimo omnium metallo producatur.

C A P.

## C A P. X.

*Ut bene calcinetur.* Vitrum non horis 24. aut eo amplius, sed per integrum biduum triduumve in igne valido perseveret: quanto enim diutius, tanto melius: ita enim defecatur & maculæ pustulæque omnes absumuntur.

## C A P. XI.

*Tartarum vel grumos.* Tartarum generofissimi vini soboles, atque index est vinum nihil incommodi passum esse ab aqua marina vel incommodis aliis, quibus virtus ejusdem imminuitur, & tartarum in minutissimas partes dissolvitur. Apud nos loco ad id destinato, in camera fornacis tertiae, prope utrumque exterioris orificium, sex horarum spatio ad albedinem usque calcinatur, atque haec calcinatio eosdem in vitro effetus producit, quos calidiore loco facta producere solet.

## C A P.

## C A P. XII.

Zafferæ. Zaffera & Magnesia non aliam hic præparationem recipiunt, quam ut molâ in pulverem tenuiorem redigantur, & eodem quo pulvisculus & materialia reliqua cribro cribrentur. Quid Zaffera sit, apud nullum autorem invenio, & paucimentionem ejusdem faciunt. Cardanus lib. 5. de subtil. terram vocat: *Est, inquiens, alia etiam terra, quæ sic vitrum tingit, cœrulei coloris, quam Zapheram quidam appellant.* Sed Cœfalpinus post Cardanum lib. 2. cap. 55. eandem lapidibus annumerat: *Alius est lapis* (sunt verba Cœfalpini) *vitrum tingens colore cœruleo, & si plusculum addatur, inficit nigredine: Zafferam vocant.* Hic ex cinereo tendit in purpureum: ponderosus & friabilis est: per se non funditur, sed cum vitro fluit aquæ modo. Aldrovandus in Musæo utrumque sequitur, & hoc loco terram, alio lapidem vocat. Ferr. Imperatus l. 28.

c. 8.

c. 8. lapidi illam plumbario & magnesiæ assimiliat. Sed terra non est, cum aquæ non admisceatur, nec cum eadem componatur: & nullus lapis æque ac Zaffera friabilis est, ut quæ digitis facilis negotio in tenuem arenaceam substantiam redigitur, id quod taetū experiri licet. Et certe, si alterutrum horum, aut naturalis quidam color esset, non omnem eorum qui de hoc argumenti genere scripserunt diligentiam effugisset: præsertim, cum in tam frequenti apud omnes usu sit, tantaque ejusdem copia à vitrariis sigulisque absumatur. Industrius *Agricola* illam non novit, neque mentionem ejusdem facit. *Julius Scaliger*, qui librum conscripsit vitri negotia concernentem, Cardanum eo nomine non redarguit. Quare in eo sum, ut putem, nuperæ inventionis rem, & ab homine Germano arte factam esse, ideoque inter secreta asservari. Certe ex Germania advehitur, & si conjecturæ locus es-  
set,

set, putarem ex ære illam & arena,  
forte aliqua etiam lapidis calaminaris  
portione factam esse. Cœruleus ille  
color, quem reddit, meâ quidem sen-  
tentiâ æri debetur, haud secus ac Ma-  
gnesiæ color ferro. Certe enim nihil  
est quod vitro colorem tribuat præ-  
ter metalla, & ab omni metallo vi-  
trum tingitur. Lapis Lazuli, quan-  
quam durus, colorem suum in igne  
deponit, & sic pretiosi lapides reli-  
qui. Verum quidem est, ab Anti-  
monio vitrum tingi, sed à metallica  
eiusdem parte & regulo tantum.  
Multo minus aliqua terræ pars feren-  
do igni par est. Quanquam ochra  
Scotica & rubrum Indicum calcina-  
tionis beneficio in colores haud ma-  
los, si debite adhibeantur, degene-  
rent, fornacem tamen vitrariam non  
ferunt. Reliquum est, ut à nulla alia  
quam metallica re produci hic color  
possit, & si metallica est, quid præter  
cuprum esse poterit? Utut enim ab  
argento procedere hic color creda-

P tur,

tur, æri tamen cui argentum alligatum est, soli debetur. Etenim argentum ter excoctum aquam separatio-  
nis plane non tingit. Secundum quod zafferam ingreditur arena est, id quod lingua & tactu discernere licet: ac si aquam fortem adhibeas, nonnihil candidæ & translucentis glareç evi-  
denter videbis, quæ pulverem pellu-  
cidorum illorum lapillorum, quos nostrates Angli *Pebbles*, Itali & Fer-  
rantus *Quocolos* nominant, egregie æmulatur: nonnihil etiam videbis,  
quod ab arena nostra vulgari non multum abit, & colorem refert sub-  
nigrum, atque haud difficulter lique-  
scat.

Tertio, cur supponam lapidem ca-  
laminarem zafferæ admistum esse, in  
causa illud est, quod neque aqua for-  
tis, neque spiritus vitrioli, zafferæ  
affusus, sensibiliter quicquam opera-  
tur, sive excitando bullas, sive sol-  
vendo vel tingendo: cuius rei expe-  
rimentum feci, affundendo aquam  
for-

fortem ordinariam, & spiritum vitrioli, nec unquam percipere potui, vel minimam ebullitionem & motum liquorum, nec tincturam strepitumque ullam, id quod in solutione metallicorum corporum frequenter evenire solet. Et lapidem quidem calamitatem obstat solutioni, nec non illis quæ solutionem consequuntur, id ex hoc experimento liquet, quod statim adducemus. Præterea hanc ebullitionem impedire potest admissis resinæ alicujus vel gummis quæ vim istiusmodi liquorum non sentit. Qua præparatione æris vel cupri id fiat, eone quem authores tradunt modo, vel qua alia ratione, determinare non possum. Pauca aliquot experimenta detegere hoc secretum, & dissolvere hunc nodum possent, ad quæ lectorem remitto. Postremo qui pondus ejusdem consideraverit, nec non pretium coloreaque ex purpureo authorum nunc nigricantem (ita enim sese habet, quicquid hactenus

P 2 . . . . .  
nus

nus videre mihi contigit) is haud difficulter in meam opinionem concedet. *Zaffera* vocatur à *Saphiro* lapi-  
de, cuius cœruleum colorem æmu-  
latur.

## C A P. XIII.

*Magnesia* sic dicta quia pondere & colore magnetem refert. Materia vitri maxime universalis est, qua utuntur, non in hunc modo finem, ut viridantem & cœruleum colorem vitri absumat, quo de Virg: Geor-  
gic. quarto:

— *Eam circum Milesia vellera  
Nymphæ  
Carpebant hyali saturo fucata co-  
lore.*

ad quæ commentator: *vitreo viridi,*  
*Nymphis apto*, qui color omni vitro  
inest: ut jam magnesia *sapo vitri vo-*  
*cari possit: sed etiam, ut vitrum tingat,*  
*id quod præstat effiendo rubrum,*  
*nigrum, purpureum vel pullum.*  
quin potissimum colorum omnium  
in-

ingrediens est, id quod præsens hoc opus demonstrat, & prolixè & vere de eo Cæsalpinus his verbis: *Hoc genus magnetis bodie vulgo Manganese & ab Alberto magnesia vocatur: addi solet ad confectionem vitri, quoniam in se liquorem vitri quoque ut magnes ferrum trabere creditur. Lapis est niger, magneti similis, quo utuntur vitrarii. Si enim modicum ejus vitro admisceatur, illud purgat ab alienis coloribus, & clarior reddit: si vero amplius, colore purpureo. Affertur ex Germania: foditur quoque in Italia, in montibus Vitorpii & alibi. Meminit & Plinius pseudomagnetis, ita enim inquit: In Cantabria non ille magnes verus, caute continuâ, sed sparsâ, nescio an vitro fundendo æque utilis, nondum enim expertus est quisquam: ferri (inquit) inficit aciem ut magnes.* Cardanus lib. 5. de subtil. sydeream vocat, quo fundamento equidem ignoro, & per errorem pro rubro cœruleum ponit: ad quæ Scaliger exercit 104. 23. *Magnesiam*

P 3

fiam

siam non novi: cœterum in MS. codice de conflandis vitris Panthei civis Veneti scriptum erat, vitrum à magnesia colore purpureo infici. Memini, cum puer essem, & Ladroni viverem, effossum in montibus, ni fallor, Solodonianis, & Venetias delatum, nescio quid, quo ipso vitrum usque adeo candidum purumque fieri perhibebant, ut erystalli nomen assumeret. Ferri colorem mibi retulisse videtur. Praeceptor meus Secundus docebat me, vitrum admistione ferrei coloris albicare, utriusque rei substantia adeo arctè unita, ut compositis earum partibus ipsi etiam colores alii alios invaderent: & magnesiam ferreae cuiusdam substantiae & ignis impatiensem exhalare, auferendo secum sordes vitri, haud aliter atque lixivium quo lineæ vestes mundantur. Similem huic iudicio opinionem apud Aristotelem invenio, ubi vires origani demonstrat in purgando vino. Cœterum ferrea hæc substantia, metallo admista, non exhalat, igne etenim vel tempore minore

nore excoquitur. Et hæc sunt quæ de magnesia didicimus. Ac in hoc discursu duo notanda sunt, attractio, & purgatio. Et attractionem quidem quod attinet, non alio illa nititur fundamento, quam quod à nominis ratione proficiscitur, quod nomen eidem ex placito impositum est. Et enim si vel maximam magnesię quantitatem exiguae fracti vel liquefacti vitri particulæ addas, non movebitur. Quod si per liquorem vitri intelligunt sal alkali, ceu partem quandam vitri, certum est viriditatem adhærere metallo, etiam bene despumato, ac tum magnesiam, si addatur, purgare vitrum. At vero si per liquorem vitri non aliud intelligunt quam vitrum jam liquefactum, gratis ea omnia dicuntur, nullo in medium allato argumento, nullo experimen-  
to. Cœterum quam obscura attrac-  
tio, tam evidens purgatio, modus autem plane obscurus est. Scaliger,  
eiusque præceptor Secundus, per mo-

P 4. dum

dum exhalationis id fieri putant: ac Plinius forte & Cæsalpinus per attractionem suam non aliud intelligunt, quam purgationem, sed minus tunc dicunt, quam utrumque decet. A metallo separetur necesse est, vel per modum præcipitationis, vel exhalationis. Per præcipitationem illud fieri non potest. Etenim commoto metallo rediret color, vel quod in aliis præcipitationibus fieri solet in fundo ollæ pulveris inßtar appareret. Nec verisimilis magis exhalatio est, cum vitro jam depurato de pondere nihil decessisse appareat. Et quomodo fixum corpus magnesiæ, tenaci substantiæ vitri innexum, assurgere exhalando posset? ac quæ major in magnesia varietas supponi potest, quam si dicamus, illam attracta viriditate metalli onustam, avolare in auras & vapores insensiles? Mihi sola mutatio figuræ & minutissimarum metalli particularum in causa esse videtur. Ignis enim liquefaciendo magnesiam,

mi -

minutissimis illam metalli atomis per omnia miscet, & varia ejusdem agitatione & revolutione has atomicales figuras format, quæ aptæ natæ sunt, ad reflectendam maximam partem illius lucis, quam nos candidam vocamus. Longe plures instantiæ adferri possent, ad illustrandam doctrinam de productione colorum ex sola transmutatione partium: sed contenti erimus adduxisse ea tantum corpora, quæ admixtione coloratorum corporum albedinem acquirunt. Recipe terebinthinam flavescentem vel oleum capevæ nigricans, vel terebinthinæ oleum ærugine (quæ facile in eo dissolvitur) tingito, ad illum usque coloris gradum, qui vitro naturalis est, & singulis cum vitello ovi optime agitatis, colorem efficies candidum, pellucidumque: vel recipe lixivium acre smegmatopœiorum, eique agitando admisce oleum viride sambuci, & medicinam parabis, quam Physici lac virginis vocant: idemque efficies,

P 5

si

si oleum aliquod aliud eidem lixivio addideris. Hic colorem habes lixivii ex flavo rubescentem, qui viriditatem olei destruit. Rursus, si oleum tartari effundas in aquam viridem, solutione pyritis in aqua pluvia factam, candidum colorem efficies: idemque oleum infusum, in aquam communem solutionis viridis vel cærulei vitrioli eundem præstat effectum, sed color minus quam in priori illo experimento candidus est, nisi magnam olei tartari quantitatem affundas: quibus instantiis via exhalationis sufficienter refutatur, nec non evidenter efficitur, hanc vitri purgationem à sola texturæ diversitate & dispositione partium metalli dependere, quam recens addita magnesia operatur. Et vero quæ alia ratio assignari potest, cur à sale & arena, corporibus utrinque candidis, metallum procedat coloris plane diversi? vel cur Zaffera & Magnesia nigro colore tingantur?

Magnesiam ferri plurimum contine-

re,

re, extra controversiam mihi esse videtur, idque hoc experimento evincitur. Pulveri ejusdem in vitro angusti oris aquam fortem affundebam, & aqua in hoc vitro fuscitatis intentibus bullis valde ; in alio majoris officii vitro minus ebulliens , fumum emittebat acrem , & maxime penetrantem , qui nares graviter offendebat. Spiritus autem vitrioli affusus parum quidem coquebat, sed scintillis pluribus emissis vitrum usque adeo incalcescebat, ut manu illud continere amplius non possem; & quod magnesia ut mihi quidem videtur, peculiare est, si limpidam affundas, calor decrescens plurimum augebitur. Tinctura hujus lapidis saturam clareti colorem referebat : atque haec omnia ferro, affusis iisdem spiritibus , eveniunt. Et cetero color magnesiae à ferro, quod continent, descendit: utriusque communis est rubedo , & rubidine magis plenus purpuræ color , cum aliqua cœrulei spetie , eosdem colores non-

P 6 nullæ

nullæ præparationes Martis obtinent: & quomodo pullus color à zaffera & magnesia, ita sericum optime nigro tingitur, si scobinam adhibeas, ab arena cotis & acie ferri proficiscentem, quam ii efficiunt, qui forfices & alia ejusmodi utensilia acuunt: & dubio procul hæc scobina colorando in olla & fornace metallo inserviret, si vitrarii usum ejusdem nossent, vel eâ uti non deditarentur. Secundo, hæc magnesia facit, ut metallum vehementer intumescat, non secus atque chalybs, vel crocus Martis, aliave aliqua ejusdem præparatio, vel compositum, id quod ei cum cupro, ære & plumbo commune est. Observabis hic, autorem nostrum præcipere ut nihil horum nisi sensim & per vires, atque ita in ollam mittatur, ut semper aliqua pars ollæ vacua maneat, ne metallum æstuando in ignem cineresque effluat, & jaeturam temporis pariter & sumtuum facias, id quod pari plerumque passu procedere solet.

Au-

Author noster magnesiam hic commendat Pedemontanam , ut quæ omnium toto orbe optima sit : ideoque ubi magnesiæ mentionem facit, loci mentionem subjicit. Atqui solertiâ nostrorum ante aliquot annos in hac nostra regione, circa Mendippi colles , famoso ob plumbi mineras in Comitatu Somersetensi loco , inventa est magnesia , quæ cum optima , quâ Morani utuntur, conferri possit. Ubi cunque fossores metallici eam inventiunt , firmiter concludunt subesse plumbi mineram, eamque vulgo *Pottern.* Ore vocant , quod figuli maximam ejusdem quantitatem absument, ut quâ solâ merces suas nigro colore inficiunt , haud aliter atque zaffera cœruleo. Optimam eam esse perhibent , quæ micantibus scintillis caret, ac subnigra est , vel in pulverem redacta atrum plumbi colorem reddit. Res est oppido dura & gravis : quo autem magis plenus est color , eo metalla magis inficit. Eodem quo fritta

tem-

tempore in ollam mittenda est.

## C A P. XIV. &amp; X V.

*Ferrettum Hispanicum.* Ferretti vox qua æs ustum vulgo denotatur, Italica, & Latinitate donata est, à Cæsalpino, lib. 3. cap. 5. ubi sic inquit: Optimum æs ustum conficiebatur in Ægypti Memphide, deinde in Cypro, cuius notæ sunt, ut sit rubrum, & attritu colorem Cinnabaris imitetur: nam nigrum plus quam decet exustum est. Hodie in Hispania conficitur: appellant autem Ferrettum; sed nigrum est, & inficit nigredine: ideo utuntur ad capillitium denigrandum. Cœterum si mediocriter calcinetur, rubrum apparebit, eundemque colorem retinebit in pulvverem redactum: atque hinc nomen ejusdem deductum esse videtur, ut fit ferrettum à ferreo colore: Crocus enim Martis, si oculum consulas, rubrum colorem exhibebit, sed multo quam ferrettum magis dilutum. Eodem

dem discursu Cæsalpinus asserit, alias regiones aliis melius ferrettum reddere, prorsus ut Castilia saponem, Venetiæ vitrum optimum dant. Cœterum non tantam diversitas climatis differentiam nobis habere videtur, ut nos cogat aliqua eorundem ex Hispania petere.

Duo maxime insignes & præcipui colores, tam in se, quam relativè ad animalia atque hanc artem vitrariam sunt cœruleus & viridis. In se, quia multum à luce mutuantur, ut videre est in vitris illis triangularibus: & hanc ob causam istiusmodi colores jucundissimi, & visui animalium gratissimi sunt, quia pupillam oculi neque nimis contrahunt, neque nimis dilatant, quorum utrumque cum dolore conjunctum est, & oculum offendit. In arte vitraria autem & pastis, encaustis & vitro plumbi, ob maximam quam cum pluribus gemmis habent affinitatem & convenientiam, aliosque innumeros usus: ut taceam varias

gra-

gradationes, quas vel simpliciter & per se, vel mixti alias cum alio recipiunt. Cœruleus color simplex est in quibuscunque artibus, qui circa illum versantur; sed viridis in curiosa arte tinctoria compositus est, ex cæruleo & superinducto flavo, vel contra, constans. In aliis autem artibus simplex hic color est, & uterque tam cœruleus, quam viridis ex eadem cupri vel æris materia diversimode preparata generatur. Portento simile, nec sine grandi mysterio est, videre, quam levi & vix perceptibili momento, adhibitâ eadem materiâ hic vel ille color fiat, quod illi, qui metalla purgant, quotidie experiuntur, dum ex eadem unius ejusdemque materiæ quantitate pro aqua forti, adhibitis iisdem æris bracteis & albeline nonnunquam elegantissimum cœruleum, quandoque eleganterius vel magis lutulentum viride producunt, cujus rei nec rationem reddere nec negotiis suis ita moderari possunt, ut

non

non cum magno rerum suarum dispendio loco elegantis cœrulei, viride assequantur, quorum hoc longe vilius est illo. Jam utut genuinus & naturalis æris & cupri color thalassicus, & ex utroque compositus sit, in hunc tamen quam illum inclinat magis, & dissolventia in hoc negotio utramque fere paginam absolvunt. Etenim ærugo ex cupri bracteis & uvis sub terra sepultis facta viridem colorem; at chalcanthum cupro factum, & pyritis liquor aquâ pluvia solutus, in vitriolo Dantiscano, Hungarico & Romano cœruleum exhibet: id quod non aliunde procedit, quam à resolutione materiæ in partes magis tenues, & variâ texturâ atomicalium partium dissolutæ materiæ. Ratio autem cur æs cœruleum producat quam cuprum præstantius, hęc mihi esse videtur, quod Lapis calaminaris, quo uno inter se differunt, recipit, & in societatem sui corporis assumit aciditatem illam, quæ cupro naturalis est,  
 & qua

& qua mediante, ut in ærugine factitia aciditate uvarum exaltata appareat, in viridem substantiam convertitur: quod ipsum etiam in causa est, cur uvæ Gallicæ, ut quæ aciditatis plus habent quam Hispаниæ, huic operi magis aptæ sint, utut clima Hispanicum aëre fruatur magis calido. Et hinc videre licet virtutem & efficaciam succorum vitriolatorum in chalcantho Anglico, nec non vitriolo Martis, spiritu vitrioli & chalybe facto, in quibus flavus ferri color in viridem convertitur, id quod etiam lapidi Armeno accidit, si cum aceto vini vel tincturâ ex eodem extracta teratur. Effectus hujus imbibitionis in lapide calaminari, ceu uno ex ingredientibus in aquam fortè liquido apparuit in nobili illo & perspicuo experimento, quod vicinus mihi meus, purgator metalli, nuper ostendit, qui cupri bracteas emerat præcipientando argento, quod aqua forti dissolverat: sed frustraneus erat ille labor,

labor, relictis in aqua citra præcipitationem libris decem de triginta: & inventa ratio est: Etenim hę bracteę liquatę erant in olla in quā ęs antea liquefactum fuerat: ergo bractearius assumta recenti ollā, igne vehementi ut fieri assolet, flores lapidis calaminalis volatiles suā naturā, & qui circumvolitando, vestes, barbam & crines opificis, haud secus ac farina molitores, tingunt, adurebat, quibus probe separatis, argentum aquę fortii natans universum præcipitabatur. Et in hoc experimento lapis calaminalis imbibens partem aciditatis chalcanthi, ideoque bracteis minus corrosis, & consequenter ab aqua fortii minus absuntis, spatiū argento reliquerat, ut innatare aquę posset, in quo præcipitationis ratio consistit. Metallum enim aquę recens additum, argenti locum occupando illud cogit, ut bracteis candidi pulveris instar adhærens descendat. Quod autem hic effectus sequatur imbibitionem

nem acciditatis aquę fortis, id ex eo manifestum evadir, quod aqua fortis, acetum, vel ejusdem spiritus, aut quivis alius liquor eidem affusus magis dulcis magisque gravis evadir, quam si corallio, oculis cancri (ut vulgo male) vel conchis piscium aut lapidi Lyncis &c affundatur. Et hinc erat, quod aqua his bracteis facta elegantissimum colorem cœruleum redderet, qualem purgator metallorum nunquam viderat: quâ eadem occasione in mentem mihi rediit, æs aqua forti dissolutum, additis cancri oculis, cœruleum reddere elegantissimum.

Metallorum omnium maxime malleabile cuprum est, auri argenteique malleabilitatem in cudendis nummis promovet, modico igne funditur, facilime à spiritibus acidis vel sale corroditur, & citra magnam difficultatem ab igne in pulverem resolvitur, id quod quinque modis fieri author noster docet. *Primo cal-*  
*cina.*

cinatione cupri, cap. 14. Æris, cap. 21.  
Sulphure, nec non vitriolo cap. 15.  
Tertio simplici calcinatione æris in  
igne, cap. 20. Squamæ æris cap. 24.  
Quarto trinâ calcinatione æris, cap.  
25, 28. Quinto præparatione vitrioli  
Veneris, cap. 31, 132, 133. quæ omnia  
cum inter tyrocinia artis Chymicæ  
sint, pauca addere necesse habeo, præ-  
sertim cum usque adeo prolixè dis-  
seruerim, qua ratione primi illi colo-  
res, cœruleus & viridis generentur.  
Inter omnes ergo has præparationes  
illa quæ vitriolo Veneris fit primas  
ducit. Secundas obtinet calcinatio  
eadem viâ & methodo, mediante sul-  
phure facta, vivo præsertim, quo si  
gnem adhibeas fortem & luculen-  
tum, color redditur melior, quam  
alia quavis ratione, cuius author men-  
tionem facit. Utut enim sulphur &  
chalcanthum ab eodem marcasite  
genere fiant, & Spiritus producant  
nullâ notabili differentiâ discretos,  
sulphur tamen acutissimis flammarum  
stimu-

stimulis magis adactum in corpora metallorum citius faciliusque penetrat, & consequenter particulas eorundem maxime tenues optime dissolvit. Igne præterea Spiritus sulphuris absumentur qui naturaliter apti sunt, ut nigredine inficiant, & colores reddant lutulentos. Vitriolum enim, ut vulgo notum est, si gallam vel quodcumque aliud astringens vegetable adjicias, atramentum dat, atque, nigredinem pro tinctoribus. Si tamen cui vitriolum experiri placuerit, ab Anglico sibi caveat, ut quod ferro constat, & illius loco assumat id, quod ex cupro factum est. Experientia enim purgatores metallorum docuit, aquam fortē Anglico vitriolo factam, fôrdes suas communicare universas solutioni, quo ipso color necessario lutulentus redditur: quare aquam fortē ex solo Gedanensi vitriolo sibi parant.

Quisquis igitur aquâ forti bone notę colorem extrahere voluerit, id  
quod

quod authori nostro præterquam in præparatione croci Martis infrequens est, halonitro & alumine illud faciat loco vitrioli, ut infra de Chalcedonio cap. 38. vel vitriolum aspergat Hungaricum vel Romanum: hoc præferat, ut quod aquam reddit fortissimam, cum cupro scateat, & quam proximè ad vitriolum Veneris accedit: simul enim cum his aquis exigui quidam atomi cupri ascendunt, quisi (ut apparet) cultrum bullientis aquæ fumo admoveas, æreo colore eundem tingunt: ac si in hac aqua forti cuprum optimum dissolvas, idque præcipitaveris (quod nonnunquam aqua forti purgatorum secundaria & cupro plenâ feci) cœruleum habebis elegantissimum & tingendo vitro accommodum: mihi enim dubium nullum est, quin ignis fornacum vehemens circum omne ceu sulphuræ naturæ vel dissipaturus, vel in vitrum mutaturus sit: etenim solutione per aquam formem factâ, crystallos emittit virides,

super-

superante cupro, quo vitrum tingitur. Quod autem hæc præcipitatis via melior sit quam extractio spirituum mediante calore facta, id ex eo liquet, quod partes cupri tenuiores & magis puræ simul cum aqua ascendunt, ut in cultri pluribusque aliis in scriptis Chymicorum obviis experimentis videre est. Unum adhuc experimentum addam, quo tintura ex cupro extrahitur: Recipiebam cupri calcinati & æruginis anunciam unam, repletasque duas ampullas vitreas succo & foliis hortensis & sale volatili abundantis cochleariæ, bene clausas per mensis unius spatium in cella, & postmodum per menses æstivos soli exponebam, eoque tempore exacto liquorem omnem per chartam emporeticam transmittebam, & ampulla una elegans cœruleum, altera exactum aquæ marinæ colorem mihi suppeditabat, id quod tanto libentius refero, quia nullum istiusmodi de sale volatili experimen-

tum

tum sese mihi obtulit, & probabile  
admodum est, plantas illius generis  
alias, isthoc sale plenas & succo tenaci  
præditas, quale est allium, rarum in  
cupro effectum edituras: etenim folia  
earundem vel viride saturum conti-  
neant, vel cœruleo mistum. Ergo  
universa acidorum cohors, & fixa  
falia, quæ aciditatem in se continent,  
solvere cuprum possunt, & ingens  
procul dubio circa menstrua & pro-  
cessus in extrahendis tincturis varietas  
sese offerret.

Author noster cap. 20. æs ex cu-  
pro & lapide calaminari factum esse  
narrat, cuius rei processum, quia nul-  
libi plene descriptus est, hic recitabo.  
Lapis calaminaris in Comitatu Som-  
ersetano & septentrionali Walliæ  
parte inventus est: utut enim Gedano  
afferatur, bonitate tamen Anglicano  
nostro cedit. Hic lapis antea quam  
in usum deducatur, bene præparetur  
necessæ est. Et primo quidem calcin-  
andus est in fornace, quæ in altero

Q latere

latere orificium habeat angustum, suscitando igni dicatum. Ignis autem carbonibus, vel quod melius est ligno suscitatur: majorem enim flamمام alit, & consequenter reverberationem meliorem. Calcinatio horis circiter quinque absolvitur, quo temporis spatio s̄epius rutabulo majore commovetur: ut autem bene calcinetur, acri judicio opus est. Etenim nisi bene calcinatum sit, cupro admisseri non vult; si plus justo, cuprum reddit fragile, & utroque casu minus quam par est vitrum tingit. Signum probæ calcinationis est, si in pulvrem evadat candidum & maxime tenuem. Dimidia fere hujus Cadmiæ (ut vocant) pars perit, & in flores abit, adhærens orificio fornacis sub diversa specie, & exigui usus, utut haud difficulter probari possit, hanc genuinam veterum pompholigem esse quâ in unguentis quę inde nomen fortita fiunt, frequenter utebantur. Egregium exsiccans est, & si tendinibus

bus & nervis stillantibus applicetur,  
citra dolorem celeriter exsiccat. Hunc  
pulverem communicavi incompara-  
bili & æterno Anatomiæ & nationis  
Anglicanæ ornamento, nec non Chi-  
rurgo excellenti, & curioso rerum  
naturalium indagatori Dn. Harvæo,  
cujus perennis apud me memoria erit,  
& fatebatur hanc veram sibi veterum  
pompholigem videri, eaque frequen-  
ter & cum felicissimo successu uteba-  
tur. Calcinatum lapidem calamina-  
rem terunt cribrantque in pulverem  
tenuissimum, eundemque cum carbo-  
nibus tenuissime pulveratis permis-  
tent, & omnem hanc misturam in  
fundum ollæ conjiciunt, superimpo-  
sitâ cupri bracteâ, id est libris quin-  
que cupri, super libras septem hujus  
misturæ, quam ordinarie propor-  
tionem servant. Ollæ hujusmodi ex ar-  
gilla Nonsuchana constant, eaque vel  
sola, & calcinata, vel cum æquali  
quantitate ollarum fractarum permis-  
ta, & si bene omnia subigantur per

Q 2                duo-

duodecim vel quatuordecim dies durant.

Fornaces, in quibus cuprum & cadmiam fundunt, sex circiter vel septem pedum profunditate sub terra jacent, suffuso per gradus & circuliter ab area officinæ ad orificium usque cavernæ solo, per quod orificium ignis simul & materialia in fornacem conjiciuntur, quæ in meditullio suffos soli & eadem cum solo & area fornacis perpendiculari sita est. Tres vel quatuor in diametro circa fundum pedes lata est, sensim & per gradus in coni formam circa orificium desinens, quod quidem orificium pedis unius in diametro latitudinem habet, & extrahendis igni & ollis abunde est. Hoc orificium ferreo gaudet operculo, & exiguo foramine, moderando igni. In fundo fornacis tubus est oblongus, vel locus concavus, per quem follibus ignem excitant. In principio ignem adhibent maxime moderatum, gradatim illum

illum augendo, usque dum cuprum  
liquari, & cum cadmia permisceri vi-  
deant, id quod frequenter horis duo-  
decim exactis contingit. Singulis duo-  
decim horis, numerando à quinta  
matutina ad quintam vespertinam,  
bracteas suas immittunt, & ollas suas  
octo ut plurimum vel decem numero  
oblongo forcipe extrahunt, & ali-  
quantis per loco calidore deponunt,  
ut metallum citra congelationem  
non nihil defervescat, ac tum demum  
illud in typos lapideos effundentes,  
bracteas æris formant, tres pedes lon-  
gas, unum cum dimidio lata, & à  
sexaginta ad octoginta libras penden-  
tes. Typi duobus constant lapidibus,  
ut mihi quidem videtur, è calcario-  
rum genere; plures enim exiguae mi-  
cantes particulas obtinent, quæ lon-  
go usu non absuntur, sed perpetim  
durant, ut ut color lapidum ex cæsio  
in rubentem æreum degeneret. Hi  
lapides primitus ab Hollandia adve-  
hebantur; sed postea nonnunquam in

Q 3

mon-

montanis Cornwalliæ inventi sunt,  
magnitudine & forma sepulcralium.  
Calefaciendi sunt horis aliquot ante  
quam metallum injiciatur, nisi enim  
id fiat, metallum diffugit, vel typis  
ruinam minatur. Plures istiusmodi  
typos in promptu habeant necesse est,  
nam post tridui usum, ut ajunt, de-  
lassantur & sebo atque carbonibus re-  
ficiendi sunt. Notandum est, mistu-  
ram lapidis calaminaris & carbonum  
semper subjiciendam esse bracteis cu-  
pri, ita enim cadmia calore fornacis  
& carbonum admistione fuscitata,  
facillime penetrat, & cum liquato cu-  
pro sensim permista, unam massam  
constituit, atque illud compositum  
perficit, quod æs vocamus: cum è  
contrario cadmia cupro imposita a-  
volatura sit; quanquam ne sic quidem  
omnis ejusdem ascensus impeditur,  
sed magna pars ejusdem avolando  
lateri fornacis adhærens, pro diverso  
situ, nec non figura & colore, diversa  
nomina sortitur, & à Plinio lib. 34.

cap.

cap. 10. *Capnitis, Botritis, Placitus,*  
*Onychitis, Ostracitus* vocatur, & sem-  
per aliquam cupri particulam conti-  
nent, quæ affusione aquæ fortis, vel  
si diutius libero aëri exponatur sepa-  
rari ab iisdem haud difficulter potest:  
quin ubi e fornace eximuntur, colo-  
rem quandoque in illis deprehendes  
ex cœruleo viridantem. Augmentum  
ponderis à libris 38. ad 40. ascendit,  
ita ut sexaginta libræ cupri, additâ  
cadmiâ, efficiant centum libras æris.  
Nota ignis ne sit vehementior, nec  
ollæ fuso cupro diutius in fornace  
permaneant, ne cadmia ante avolet  
quam carbones eidem admisti & in  
fundo ollæ quiescentes in cineres con-  
versi sint, qui non raro integri & illeſi  
reperiuntur, ut ut ollæ per plures ho-  
ras in continuo calore steterint, id  
quod necessarium est fieri, cum cuprum  
& cadmia simul plus temporis ut fun-  
dantur requirant, quam cuprum per  
se & solum. separationem cadmiæ &  
metalli quod attinet, his quæ jam di-  
vidit

Q 4

cta

Etia sunt illud subjiciemus, æs ubi in fila ducitur, toties calefaciendum esse quoties trahentis vim sentit, secus si fiat dirumpitur: ita tamen temperandum est calori, ut cerasi instar rubescat cuprum, nec ultra: etenim si ultra hunc caloris gradum procedas, cum magno possessoris damno cadmia decedit, id quod levi momento evenire potest, cum æs in tenuia fila ducitur.

C A P. 16, 17, 18, 19.

Tradit diversas vias efficiendi crocum Martis, sed quas cum pluribus aliis tradiderunt authores Chymici, & referri ad hæc summa capita possunt. 1. *Ad simplicem reverberationem*, citra misturam, qualem in ferris crateribus vidi, quibus fornaces sustinebantur: atque adeo colorum quos ego unquam vidi optimus, & maxime profundus hac ratione factus erat, in fornace, quæ distillationi aquæ fortis continue inserviebat, crateribus

tibus ferreis sensim in crocum resolutis, cuius verrendo satis magnam quantitatem collegerant. 2. *Ad calcinationem* vel reverberationem sulphure, sale, urinâ, vel aceto factam. 3. *Ad solutionem* in aqua forti, Regiâ, spiritu salis vel nitri; qua ratione, exhalante aqua, colorem obtinebis rubicundum. Solutione ferri in spiritu vitrioli vel sulphuris, vitriolum Martis fit, chalcantho Anglico bonitate fere par, sed viribus in arte tinctoria & medicina minus: Ex hoc vitriolo calcinato colcothar fit, communi vitriolo non absimile, quod pictoribus subministrare materiam fraudulentis coloris potest, sed in vitrariis fornacibus nulli usui est: omne enim colcothar plurimum terrestreitatis habet, quæ vitrum reddit obscurum & sordidum; atque hoc mihi in causa esse videtur, cur author noster hac in re vitriolo non utatur, ut antea in cupro.

Quantum ad tincturam Martis, id

Q 5 solum

solum dicam, acida omnia, & quicquid succorum corrodendi vim habet, & in cuprum agit, eundem in ferro effectum præstare, sed ita, ut semper rubrum colorem, aliud tamen alio magis translucidum & excellentem, producat, ut jam inservire multis coloribus, & misceri cum metallicis aliis varia ratione possit: Sic croco Martis acetо mediante facto convenit cum viridi, *cap. 32, 34, 35.* nec non cum Smaragdo ex vitro plumbi, *cap. 65:* idemque crocus in pastis promiscuè ærugini additur *cap. 77, 78, 79* & nigro *cap. 101.* At vero ut rubrum elegans habeas, crocus Martis sulphure, *cap. 128,* ut elegantius, crocus Martis aqua forti factus desideratur. Cœterum quomodo vitriolum vel Venus optimæ ex ære color est, ita primus & præcipuus ferri vel chalybis color is est, qui aquâ Regis fit, idque partim ob mixturam salis Armoniaci, partim ob solutionem magis exactam.

Ab.

Absolutis nunc illis, quæ primam materiam & præparationem colorum *in vitro* spectant, pars reliqui operis præcipua consistit in debita mistura eorundem, cum suis circumstantiis, quam partem author noster plane absolvit, quare in his quæ sequuntur oppido breves erimus, id tantum memorasse contenti, quod quondam ceu magnæ æstimationis secretum ad notitiam meam pervenit, nunc vero satis notum est pluribus. Recipe antimonii & halonitri optime triti & misti ana libras duodecim, communis vitri materię libras centum septuaginta sex: Omnia bene mista & unita calcinentur in calcaria, & redigantur in frittam, vel quod eodem reddit, Regulum antimonii ex antimonio crudo & halonitro para: modum Chymici omnes norunt: hic regulus cum metallo mixtus finalium præbet percandidum, & variis coloribus infervit.

Q 6

C A P.

## C A P. XXIX.

Porta lib. 6. c. 5. Cyaneam gemmam colorare, quam vulgus aquam marinam vocat, specie Sapphiri. Es combustum in tenuissimum pulverem teritur, ut omnem tactum, effugiat: si aliter, rudior gemma proveniet, ac vitro immisceatur. Quantitas determinari nequit: nam & meraciores & dilutiores fiant, scilicet pro singulis libris singulæ drachmæ satis sunt.

## C A P. XXXII.

De colore Smaragdino Porta lib. 6. c. 5. Quum aquam marinam tinxeris, facile in smaragdum vertes, addendo crocum ferri, sed crocum medietas aeris sit, videlicet, si primo quartam aeris partem addebamus, nunc octavam eroci addemus, & tantundem aeris. Notabis, post colorem injectum per sex horas simul coquantur, ut materies gemmarum exclarecat, quod colorum injectus subila contraxerat. Ignis post paululum

*lum decrecat, donec fornax refrigeretur:  
tunc ollæ detrahantur è fornace, con-  
fractæque eridentos preciosos lapides lar-  
gientur.*

De roseo colore, quem Rosachiero  
vocant, Porta lib. 6. c. 9: *Peritiores  
recentiores vitrarii in colorando smalto  
rosei clari coloris, vulgus rosachiero vo-  
cat, non parum insudant, videntes ma-  
jores nostros, quod illud satis artificiose  
& pulcherrime confinxerint.*

## C A P. XXXVII.

Author noster suadet, ut ipsi  
aquam fortem præparemus, atque id  
quidem non sine ratione. Etenim li-  
bra una aquę fortis vulgaris, ut sæ-  
pius expertus sum, non continet nisi  
quatuor uncias boni Spiritus: quid-  
quid supereft phlegma vitrioli est.  
Arsenicum album in præparatione  
aque fortis addendum esse, apud Do-  
minam Isabellam Cortesiam invenio,  
cujus liber Venetiis impressus est,  
octodecim annis ante, quam hoc au-  
thoris

thoris nostri opus in lucem prodiit.  
Varię sunt compositiones hujus aquę,  
sed omnes halonitrum, ceu maximę  
virtutis, ingrediens recipiunt. Plu-  
res illam ex vitriolo parant: nonnulli  
ex chalcantho Anglico, quod aquę  
genus communi usui & vulgo tinctorum  
inservit. Gedanensi tamen vi-  
triolo facta melior esset, quā purga-  
tores metallorum utuntur, qui lutu-  
lenti aliquid in nostro Anglico de-  
prehendunt. Nonnulli loco vitrioli  
alumen addunt; sed hoc præter de-  
bile phlegma nihil reddit. Alii sal  
gemmae addiderunt; sed usu comper-  
tum est, istiusmodi sal nihil spirituum  
largiri, sed collo retortę adhærendo  
obstruere aditus spirituum, & diffri-  
gere vasa. Ubi ruber fumus transhit,  
omnes halonitri spiritus ascenderunt,  
& extinguendus est ignis, quicquid  
enim sequitur, vitrioli spiritus est, qui  
operationem spirituum nitri in sol-  
vendis metallis impedit. Apud pur-  
gatores metallorum sæpius vidi, intra-

vigin-

viginti quatuor horas bis extractam  
optimæ notæ separationis aquam, quo  
temporis spatio & ignis gradu parum  
spirituum vitrioli ascendere poterat,  
ut qui trium dierum ignem conti-  
nuum & ultimo quidem biduo vehe-  
mentissimum ut extrahantur deside-  
rant: sed volatilitas nitri in aqua for-  
tassis adjumento est, ut citius ascen-  
dant. Unum author noster omittit,  
quod tamen summe necessarium, &  
purgatoribus metallorum semper in  
usu est, nisi aquam velint sordidam,  
cujus rei modum & summam Begui-  
nus tyrocinii Chymici lib. 2. cap. 3.  
tradit: *Cape inquit quartam partem  
istius destillati, injice puri argenti drach-  
mam unam, & solve super prunis: so-  
lutionem infunde tribus alius partibus,  
& albæ evadent instar lactis, sine resi-  
dere & purum effunde: id quod resedit  
purgatores fixum vocant, & in vas  
aqueæ mensuras viginti continens ef-  
fundunt, & statim omnis aqua la-  
cteum colorem acquirit. Novi pur-  
gato-*

gatorem, qui omnem suam aquam fortē in olla ferrea præparat, & ex-perimento deprehendit, aquam pro-dire solito fortiorē, præterquam quod compendium ollarum & ignis facit: methodum apud commentato-rem Beguini vide.

## C A P. X L.

Ut aquæ Regis tantum salis armo-niaci addas, quantum dissolvere po-test, id vero necessum non est: un-ciam unam cum dimidia in pintam dedisse sat erit. Miror Beguinum in præparanda hac aqua halonitrum & sal armoniacum distillando conju-gere: me experientia docuit, dimidiā aquæ Regiæ quantitatē, in qua sal armoniacum dissolutum est, idem fere præstare, quod alterum tantum illius aquæ, cum eodem sale distillatæ. Aqua Regis argentum de-nigrat tantum: bracteas cupri stamni-que tenuissimas ægrè, & haud secus ac aquæ fortis auri folia corrodit.

At

At vero si aquam, dissoluto jam au-  
ro, detraxeris, argentum & reliqua  
metalla aggreditur.

## C A P. XLII.

Methodus faciendi Chalcedonium,  
Jaspidem & Achatem mihi eadem  
esse videtur, cum illâ, qua chartis va-  
rios colores & undas, marmoris in-  
star, inducunt, quamque Kircherus  
lib. 10. de luce & umbra & ex eo  
Schottus part. 1. l. 5. chrom. 9. ex-  
acte describit. Methodus hæc est. In  
convenienti liquore certos, & istius-  
modi colores dissolvunt, qui in aquam  
missi, tarde, aut nunquam, ac tum  
demum inter se coeunt, ubi chartæ  
ad inducendam varietatem colorum  
applicantur. Eadem ratione diversi  
generis materialia, quæ utut mista  
perfectam unionem respuunt, neces-  
sario metallum variis coloribus infi-  
ciunt. Plurima tincturarum experi-  
menta proferri possent, in quibus  
utut agitati & confusi, suum tamen  
liquo-

liquores singuli locum & stationem  
occupant. Circa trinam præparatio-  
nem Chalcedonii observo. 1. Quod  
omnia colorantia materialia, zaffera  
scilicet, magnesia, argentum, cha-  
lybs, smaltum, & plumbum, sed  
non eodem semper modo præparata,  
unamquamque Chalcedonii præpa-  
rationem ingrediantur. 2. Quanto  
major ingredientium varietas est, tan-  
to meliorem esse Chalcedonium:  
prior enim simplicior est secundo, &  
secundus tertio, & author noster ter-  
tium præ secundo, & hunc præ primo  
commendat. 3. Esse in unoquoque  
præparationis genere aliqua ingre-  
dientium, quæ vitro nullum omnino  
colorem tribuunt, qualia sunt tarta-  
rum, fuligo sal armoniacum, Mer-  
curius. 4. Nonnulla ex his unguinosæ  
naturæ esse, ut sunt plumbum, fuligo,  
tartarum, smaltum, id quod unio-  
nem materialium impedit, & in causa  
est, cur aliis ab alio secedentibus in  
metallo refrigerato undæ appareant,

-oupil

& di-

& diversi generis elegantissimi colores. Magna pars artis in debito caloris gradu & methodo procedendi sita est; & in hoc postremo totum marmoris instar colorandę chartę artificium consistit.

Porta vitrum variis coloribus infondere docet, idque aliis intentus casu invenit. *Calx stanni* colorem perspicuum vitri crystallini tollit, & varie colorat: nam dum vicissim inspargitur vitris crystallinis rotâ perpolitis, & succenso igni expositis, varie colorat, & tenebrosa reddit: nam pars una lapidescit, altera coloratur varie, ut opalus videatur. Sed oportet saepius ex igne eximere, & accommodare, usque dum voti compofias.

Hic & pluribus aliis in locis author noster docet, vitrum in quamcunque figuram elaborari posse. Ego, ut Lector quo delegetur habeat, curiosissima eorum que legi enumerabo. Card. l. 10. c. 52. de rerum variet. currum vidit, & boves duos, alâ muscæ tectos,

Agri-

Agricola l. 12. de re metall. Morani arbores, naves & alia plura famosa & mirabilia opera vidit. Dominus Howelius pag. 39. navem vidit vitream cum malis, velis, funibus, & omnium armamento, nec non prorâ, puppi, anchoris, & scaphâ: virum item armatum. Wormius in Musæo suo parvas vitreas statuas, tam virorum, quam rerum aliarum habet; insigne item templum S. Marci apud Venetos, intus musaico opere elaboratum, & certas historias aptis coloribus representans, atque hic illic auro exornatum.

## C A P. XLVIII.

Porta l. 6. c. 5. ut amethysti colorem reddat, drachmam unam Magnesiae in singulas metalli libras dat.

## C A P. XLIX.

Porta pro Saphiro drachmas duas Zafferæ metallo dat, & quanto diutius in ignem orabitur (sunt verba ejusdem) niti-

*mitiore colore suffunditur, sed irrequietè  
remiscendum est.*

## C A P. L V I I I .

*Rubrum plenum, quod rosso in corpo  
vocant, de quo Imperatus l. 4. cap. I.  
Corpus habere dicuntur illi colores, qui  
opaci sunt & non transparent: Corpus  
non habere illi, qui transparent.*

## C A P. L X I .

Vitrum plumbi apud nostrates vi-  
trarios in usu non est, idque propter  
nimiam suam fragilitatem: Sed ratio  
calcinandi plumbum, quo merces suas  
inducunt, satis nota, & in usu commu-  
ni apud figulos est. Quod si hoc vitri  
genus æque ut crystallinum tenax  
esset, ob elegantiam coloris sui reliqua  
omnia longe superaret, id quod nemini  
ignotum esse potest, qui metallum  
illud novit, & experimento Kircheri,  
quod facile & nullo sumtu paratur,  
evincere licet, ita enim ille lib. I. de  
luce & umbra par. 3. c. 5. Si argentum  
vis-

vivum, vapore plumbi congelatum,  
cochleari æneo impositum, carbonibus  
accensis caleficeris, ecce mox tibi in li-  
quefacta materiâ tanta comparebit colo-  
rum varietas, ut nulla major in mundo  
concipi possit, ita lucidorum, ut nulli eo-  
rum quos apparentes vocant iis compa-  
rari possint. Memini, cum in eo essem,  
ut cerussam igne in plumbum redu-  
cerem, me immittendo ferrum acu-  
miuatum, præter aliquot grana plum-  
bi acquisivisse satis magnam quantita-  
tem materiæ fragilioris & opacæ, sed  
elegantissimis coloribus, cœruleo, vi-  
ridi & qui reliquos superabat flavo  
exornatæ. Ita liquatum plumbum,  
addita aliqua sulphuris particulâ, co-  
lorem reddebat cœruleum, omnium  
quos unquam ego vidi optimum, nec  
non colores alios minime deciduos, &  
qui duodecimum jam annum perdu-  
rant. *Libavius de transmut. metall.*  
l. 7. c. 20. ait, excoctores metallo-  
rum, nec non illos qui rei metallicæ  
examinando præsunt, quotidie plum-  
bum

bum in vitrum convertere, idque vitrum nigro, rubro, flavo aliove colore infectum esse, prout plumbum diversimode calcinatum, vel calcinatione in lithargyrium, cerussam vel minium conversum est. *Quercetanus in Hermet. med. defens. cap. 9.* affirmat, se propriis oculis vidisse annulum, ex vitro plumbi factum, qui vino per noctem infusus, vim purgandi nunquam non exerebat. Eadem in bismuto vel stanni vitro varietas videre est, *de qua Libavius syntag. arcan. l 6. c. 4*

*Plumbum in serediens, fundum ollarum perrumpit.* Plumbum difficulter ita calcinari potest ut non aliquæ ejusdem particulæ integræ permaneant, quæ postea calore fornacis in plumbum reducuntur: idem de cerussa dictum est, idemque in minio locum habet, quomodounque etiam calcinerur. Cur autem ollas perrumpat, hoc mihi in causa esse videtur, quod denuo ibidem calcinatum, pinguedine

dine & mole corporis sui poros olla-  
rum occludit, & impedimento est,  
quominus ignis in metallum agat, quâ  
actione impeditâ, vis omnis in argil-  
lam vertitur, ex qua ollæ constant, ac  
si ulterior plumbi calcinatio accedat,  
ollam perfringi necesse est. Solum au-  
tem inter metalla plumbum deorsum  
vergere, cum metalla reliqua in su-  
perficie ollarum natent, id præter-  
quam quod reductione plumbi satis-  
liquet, etiam crucibula aurifabrorum  
& excoctorum testantur, quæ externa  
facie & pondere quantitatem assumti  
corporis produnt. Certum est, testas  
non nihil argenti imbibere, quam ob-  
causam iterata fusio & ignis vehemens  
adhibetur: nec dubium ullum est,  
quin idem crucibulis accidat: utut  
enim Regii apud nos rei monetarię  
præfecti id contra eos, qui aurum in  
massa inferunt, strenuè negent, illi  
tamen, qui aurifabris præsunt, reco-  
quendo argentum extrahunt. Exi-  
guas tamen aliquot argenti particulas  
hoc

nuces juglandes, Bezetta seu torna-solis  
Bezedini apud Wormium in mu-  
sæo l. 2. c. 34. ubi illam sic describit:  
Pannus subtilis est lineus, tinturâ rubi-  
cundissimâ & eleganti imprægnatus, mi-  
hi à Serenissimi Principis Christiani V.  
Pharmacopœo industrio, Christophoro  
Herfurt dono data, sed quomodo præpa-  
retur, quæque ejus sit conficiendi ratio,  
ignorabat ipse. Santali rubri tintura  
videtur, quâ pannus est infectus. Adru-  
bram tinturam corpori & esculentis in-  
ducendam utuntur, ut torna solis vul-  
gari: sed hæc longe elegantior, cosmeticis  
apta, hoc habens peculiare, quod aquæ  
colorem suum immersa communicet,  
ægrè vino, neutiquam Spiritui vini.  
Hactenus ille. Vidi hanc tinturam  
gossypio factam, quæ pro fucò in-  
serviebat, ac nostratisbus satis familia-  
ris est. Et insignis procul dubio lac-  
ca inde præparari posset. Amaran-  
thi, balaustia, semen heliotropii tricoccii,  
quod primo affrictu viridem, inde  
cœruleum, & postremo purpureum

S      colo-

colorem reddit, teste Libavio: *framenta Alaterni*, teste Clusio, nigrum; *flores cichorei*, *flores scabiosæ Indicæ*, *ebrysanthemum Creticum*, *nasturtium Indicum*, aliæque plures, de quibus volente Deo posthac prolixè; specia-liter, quia Botanicorum nemo tinturas plantarum observavit, nec easdem in certas classes digessit, cum tam enus earundem in negotiis longe maximus sit & nonnullæ ex his, de quibus antea locutus sumus, à mercatoribus in usum deductæ sint. Quorum folia colorem producunt, hæc sunt: *Stramonium*, *arbor tinctoria Virginianum*, cuius folia, si manu fricentur, viride dabunt, omnium quotquot ego ex vegetabilibus vidi maximè saturum: *folia acanthi*, *folia peti genuini*; *flores nigellæ Hispanicæ*, ut ut *cœrulei*, si manu, charta vel panno linteo fricentur, elegans viride præbent.

Hæc via extrahendi colores beneficio distillationis optime nota, & in usum

usum deducta est: omnes enim chymicè extracti spiritus, dum ascendunt, albant, & infusione materialium, quæ tincturam continent, tinguntur, ut in Pharmac. Londinensi *Spiritus Lavandulæ compositus*, & *aqua papaveris composita*, & *aqua Mariæ*, &c. & Pharmacopœi ferè omnes hanc authoris nostri viam docent.

At vero hæc extractio spiritus vini, ita tincti, colorem reddit emortuum, & nullius pretii, nisi in exigua quantitate, & moderato B. M. calore fiat: calor enim magis vehemens colores vegetabilium nigros reddit: quin ipse etiam *lapis Lazuli*, utut durus, calor nimio colorem suum amittit.

## C A P. C XI.

Hanc præparandi viam secutus sum, sed nihil mihi præter lutulentum cœruleum, ad figrina opera, ineptum reddidit. Author noster hoc cœruleum *Germanicum* vocat, nec aliter Birellus l. II. c. 106: sed hic ful-

S 2 phur

fulphur addit, & quatuor tantum sa-  
lis armoniaci partes recipit; plura ejus-  
dem naturæ alia apud eundem inve-  
nies.

## C A P. C X I I .

*Turcoidi deperditum colorem restitue-*  
*re.* Subdubito, atque adeo fando ac-  
 cepi, non succedere hoc negotium:  
 melior tamen forte hæc quam Isab.  
 Cortesiæ ratio est, l. 3. 53. Lapidem  
 ultramarino fricat, quod per diem in  
 aqua fôrti stetit, eâque evaporatâ sic-  
 catum pulverem adhibet. Deinde  
 eundem primò in aquam fortem ex-  
 ære & vitriolo factam, postea in ace-  
 tum vini, ac postremo in aquam, &  
 quavis vice per aliquod temporis spa-  
 tium, infundit.

## C A P. C X I I I .

*Miftura pro ſpeculis.* Varias ea-  
 ründem compositiones apud autho-  
 res invenio, & quia singularem in  
 opticis uſum habent, nec Anglici  
 fer-

-

sermone haec tenus descripte sunt, quales inveni, tales hic describam. Hæc specula vel vitra *metallica* vocantur, non quod metallo constent, sed quia aliquot metallica corpora hanc compositionem ingrediuntur, & quia pondere simul & externa facie metallica corpora æmulantur. Porta Mag. l. 17. c. 23. misturam pro his speculis ita præparat: *Accipiatur olla nova igni contumax, & intus luto inducatur, ut firmius perduret, resiceari curato, idque bis, terve repetas. Igni appone, & in ea binæ tartari libræ liquefiant, & totidem arsenici crystallini, ubi fumare conspicies, injice libras quinquaginta æris antiqui, atque usu attriti & septies, vel sexies liquefacit, ut purgetur, defæceturque, mox addes virginis quinque libras stanni Anglici, & simul liquefcant patiaris, paululum ex mistura extrahes ferramento aliquo, & experimentum capies, si frangibilis, vel dura sit, si frangibilis, æs adde, si dura stannum: vel coqui finito, ut aliqua stanni pars*

S 3

pars

*pars evanescat, quum ad optatum temperamentum pervenerit, projicito supra binas uncias boracis, & finito quo usque in fumum solvatur, deinde in typum projicito, & refrigerescere finito, frigefactum pumice adfricabis, mox smiri pulvere, ubi perfecte superficiem adaequata, & perpolitam confexeris, tripoli adfricabis: postremo stanno usto nitorem, & lucem induces. Plerique tertiam stan ni partem addunt aeris, ut durior massa fiat, & majorem perspicuitatem recipiat.*

Porta in priore editione l. 4. c. 23.  
hanc misturam ita componit: *Ita communiter ab omnibus fit: Recipe aes & triplum stanni, ac parum arsenici vel tartari, ut liquecant & incorporentur: Aliqui stanno triplum aeris, nec non parum stibii, argenti & albi pyritis addunt: nonnulli plumbo & dupla portione argenti id efficiunt: ex alio etiam metallo & aliter temperato fit. Ubi jam formata fuerint, necessum est, ut poliantur & laevigentur, in hoc ut radius reflexus*

flexus imaginem rei secum ferat, & specula imitantur, id quod à lœvigatione & aptitudine partium maximè dependet. Si mistura non fuerit satis lœvis, demo vel tere, ut hinc imago major, illinc minor & diversa repræsentetur. Si scabra fuerit, rotam adhibe, quâ arma poliuntur, & polita erunt. Si vitrum feceris concavum vel convexum, ne motu rotæ vitrum frangatur, frustum ligni in vitri figuram dola, & vitrum, ne moveri possit, pice agglutina. Tunc corio vel linteo & smiride, & postea pulvere pumicis tenui vel dum ligno adhæret stanno calcinato, ab aurifabris Putty dicto, & tripoli, ac postremo fuligine, tartaro & cinere salicis vel juniperi, quo maxime nitet, fricitur. Smiris terendo, cribrando & infundendo præparatur.

Cardan. lib. 2. de variet. cap. 57.  
specula, chalybea vulgo dicta, ex tribus partibus æris, undæ stanni & argenti, & decimæ octavæ antimonii fiunt. Plures argentum ad minuendos sumtus omit-

S. 4. tunt:

tunt : alii partem ejusdem vigesimam quartam addunt , referente Aldrovando Musæi metall l. 1. c. 4. Nonnulli ex libra una stanni , & æris liquati parte tertiad illa faciunt , ac tum demum unciam unam tartari , & dimidiam aripigmenti albi , dum fumant coctorum , addunt . Postea metallum fusum in speculi figuram super tabula plana , fumo resinæ siccata & calefacta , redigunt , & ligno agglutinatum , primo aqua & arenâ , deinde smiride vel lævi pumice , ac tandem stanno calcinato læviant . Hactenus Cardanus , & ex eo Kircherus & Schwenterus .

Harsdorfferus tom. 1 part. 6. q.  
13. delic. math. tres quartas stanni , & unam quartam æris purgati fundit , ac tum tartari calcinati quatuor , antimonii crystallini sex , antimonii sublimati duas , olei communis quatuor , & marchasite tres uncias recipit , mistisque omnibus , uncias hujus misture duas in singulas prædicti metalli libras dat , & ubi jam evaporarunt & pur-

purgata sunt, nonnihil picis Burgundicę addit, eaque consumta materiam in typos conjicit.

Scaliger exerc. 82. sect. 3. ita de hac mistura: *uncias stanni novem & aeris tres funde, ac tum demum unciam unam tartari siccati & arsenici albi diuidiam adde, omniaque dum fumant in igne perseverent, & in fingendo & poliendo ut reliqui authores procede.*

Cornæus Schotto hanc methodum communicavit: *Recipe aeris partes decem, eique ubi jam liquatum erit, adde stanni partes quatuor, & nonnihil antimonii & salis armoniaci asperge, & movendo omnia misce usque dum periculosus ille fumus, à quo tibi cavebis, evanuerit, & postea in typos conjice. Multo usu (inquit) deprehendi optimam esse hanc misturam.*

Nonnullas harum misturarum, nec non illius generis plures alias, ut & diversa materialia in usum politurę invenies apud Birellum l. 9. ac. 47. usque ad 55, quo te brevitatis causa remitto.

S 5

C A P.

## C A P . C X I V .

Hæc methodus tingendi interiorem sphærarum vitrearum superficiem, mutata est in aliam, quâ exterior earundem superficies glutinosis coloribus depingitur; res oppido jucunda, & quam frequenter in ædibus videas.

*Gessum.* De quo Cæsalpinus, inter Latinos authores unicus, qui ejusdem mentionem facit lib. 1. c. 9. *Est alia terra pallida glebis lapidosis; quâ utuntur ad aurichalcum detergendum,* *Gessum vulgo vocant.* Quid autem propriè sit, id ignorasse mihi videtur. Calcis in elegantem, duram & per candidam lapideam, ac valde ponderosam substantiam usq[ue] species est, maculis, ut in plumbi stannique venis, micantibus. Externa specie & fragilitate alabastritem refert, tale enim est frustum illud haud exiguum, quod penes me servo. In Hispania fit, atque inde in Insulas Canarias.

rias defertur, & vinis eo delatis albicantem colorem & fermentationem tribuit, qua mediante præservantur, cum sine hoc condimento in exteris regiones delata in vappam abitura es- sent.

## C A P. C X V.

*Ultramarinus.* Ita vulgo, ut *Cæsalp.* speciosissimus omnium, & pretio aurum, si non superans, certe æquans color est. Qui de lapidibus & coloribus agunt Authores in universum omnes præparandi rationem docent. Tenerimus hic color est, & nisi lapidem lazuli adhibeas omnibus numeris absolutum, irritus erit omnis labor. Suffecerit indice digito demonstrasse authores, qui de eo scripserunt, omissis eorum processibus, ceu prolixis admodum & tædiosis. Boetius de Boot de gemin. & lapid. l. 2. à capite 123. usque ad cap. 142. longa serie verborum docet, quomo- do hic lapis eligendus sit, (alii enim

S. 65 ignem

ignem ferunt, quos Aldrovandus *fixos* vocat, alii colorem in igne amittunt) item quę calcinandi ratio sit, quomodo vasa, lixivia, emplastra fortia & mitiora, quibus color tanto facilis extrahatur, fiant, & quomodo lavandum sit extractum, ut colori inservire possit. Ultimo autem capite viam docet, quā mediante color facilis & sumtu minore extrahitur. Hunc proxime Birellus sequitur, qui lib. 9. à cap. 80. ad cap. 109. omnes hos processus compendiosiore methodo describit. Nonnulli pictores lapidem lazuli tenuiter terunt, eoque sic trito utuntur.

## C A P. C X VI.

*Lacca coccinea.* Dubium nullum est, quin hæc vox descendat à *gummi*, quod *Laccam* vocamus, & colorem atque tinturam eandem habet, quam lacca pictorum. Mathiolus lib. 1. in *Dioscoridem* c. 23. asserit, varias esse laccarum artificialium species, quę ex sedi-

sedimentis diversarum tinturarum parentur. Una ex baccis vel apice pimpinellę, ab Anglis vulgo *Cremesē* & *Cremesino* (*Crimson*) dictę: altera ex baccis vel granis Kermes: tertia ex genuino Gummi laccę: quarta denique atque omnium optima ex Brasiliensi fit: at vero modum, quo hæc vel illa fiat, non describit.

Sed de hoc loco, & erroribus à Matthiolo hic commissis posthac in tractatu speciali de coloribus. Birellus l. II. c. 39. viam docet faciendi laccam ex hoc gummi. *Recipe inquit urinæ viri libras circiter viginti, easque bene coque & despuma, adde gummi laccæ libram unam, & aluminis uncias quinque, omniaque igni committe, ac tandem coque, donec color omnis extractus sit: capto experimento aluminis saccharini tantum, quantum sufficere videbitur, adde, & ut laccas alias colla.*

Apud diversos scriptores diversas rationes parandi laccas invenio, sed quę tantum materiā ex quā, vel men-

struo

struo per quod differunt. Nonnulli baccis vel granis Kermes utuntur, (ex quibus Pharmacopœi syrum sibi parant egregiè tinctum) Et hæc quidem grana Ilex suppeditat, Coccigera dicta, cuius generis arborem videre poteris in horto quodam vici vulgo *the Old-street London* dicti, prope ædes peste infectis dicatas, sed qui fructum nunquam protulit.

Alia illius generis arbor *White-hall* in privato Regiæ Majestatis horto succreverat, quam nuperi usurpatores ex inscitia dejecerunt. Alii cochinellâ utuntur, quæ vermis est, vel musca, quam ficus Indica progenerat, de qua prolixe disserentem Johan. de Laet descript. Ind. l. 5. c. 3. item Herrem & Zimenem vide. Sunt qui flocis tinctis utuntur, atque hæc via, quam author noster hic docet, ut maxime vulgaris, ita omnium optimâ est. Alii loturâ & depuratione utuntur vestium coco infectarum.

Hernandes in historia sua l. 3. c. 45.

de

de ratione faciendi Laccas in India  
sic: Ex Nochetztli, id est Cochinella  
nonnunquam purpureus, aliquando  
coccineus color fit, pro diverso præ-  
parandi modo.

Exquisitissima omnium ratio est,  
si in aqua decoctionis arboris *Tot-*  
*zuatl* dicti, addito alumine macere-  
tur, & quod resederit in placenta  
formetur.

Quantum ad menstrua, author no-  
ster lixivium parat, ex cinere salicis,  
vel alterius ligni mollieris. Alii ro-  
boreos, vel alterius durioris ligni ci-  
neres exhibent: quales tamen cunque  
adhibeantur, lixivium ne sit fortius,  
quam ut linguâ degustatum eandem  
leviter pungat. Certe aqua fortis plu-  
rimum in hac re posset, quando in-  
comparabilibus nostris officinis tin-  
ctoriis testibus constat, quantos Co-  
chinelle color progressus mediante  
hac aqua fecerit. Id solum obstat  
videtur, quod Laccę hac ratione præ-  
parat, & aeri expositę, vel madefac-  
tę,

ctæ, colorem suum amissuræ essent, diffluente sale: sed etiam huic malo forte remedium adhiberi poterat, extractione, vel ablutione salis, citra detrimentum coloris. Exemptionem, præcipitationem, colaturam, & exsiccationem laccarum, & coloris quod attinet, eodem scriptores omnes pede procedunt. Postremo illud addam, lapides calcarios imbibendo humorem citius exsiccare quam lateres, id quod constans pictorum & excoctorum in exsiccando praxis satis confirmat. Antea quam plane siccatur Lacca, in globulos illam, vel ligneo (non ferreo qualicunque) cultro in quamvis figuram formant, vel si ita visum fuerit, exemplo pictorum sulcis in lapide factis illam committere possunt.

### C A P. C XVII.

*Orientalis. Saline of the Levant,*  
vel ut author noster habet *Pilatro di Levante.* Vocem *Pilatro* apud Italorum neminem invenio. *Expositio-*  
*nem*

nem ejus proiectæ ætatis operario Moranensi debeo, qui addebat, esse salis genus, extractum ex spuma maris, & extremo calore regionis coagulatum. Ac nomen quidem *Salinæ*, & modum generationis ejusdem ab alio etiam operario accepi, sed expositionem vocis ab illo solo.

## C A P. C X V I I I.

Birellus hanc laccam ex ligno Brasilensi ita parat: Primo tinturam ex floccis extrahit; postea recipit libram unam ligni dissecti ( melius esset contriti ) & lixivium ad consumtionem latitudinis unius digiti coquit, colat, & colato liquori addit unciam unam gummi Arabici, pulverati; Inde colaturam omnem ad consumtionem dimidii digiti recoquit, & utrumque liquorem bacillo miscet, adhibendo que manicam Hippocratis procedit ut antea.

## C A P. C X X I V.

*Elegans rubrum roseum: Rosichiero.*  
Porta l. 6. c. 9. *Rosaclerum* vocat, atque

que hanc præparandi rationem docet:

*Dena crystalli libras in ollam injicito, ubi optimè liquefactum noveris, immergito libram minii optimi, dimidiatis vicibus, ferreo veru quām citissimè remiscendo, nam sui ponderositate facile in fundum confidet, ubi remistum noveris, ex ollula instrumentis ferreis, ad id aptis, evellito, & in aquam mergito, idque tertio repetere ne pigate: mox supra, aeris, in calcem redacti, uncias quinque, admisceto coioris flagrantissimi cinnabarim, & maximè exagitatum tribus horis conquiescere finito. Ubi id feceris, stanni vitri superaddito ternas uncias, sine intermissione remiscendo, & floridissimum rosæ colorem in vitro perspicies, quo exornando auro uti poteris. Hoc tamen modo poteris.*

### C A P. C X X V I.

Quomodo sulphur alia ratione figatur, capite 129. docet. Alium processum, sed multo quam hunc magis prolixum Birellus l. 1. c. 50. describit.

bit. Atqui sulphur, ea ratione præparatum, facile una cum sale armoniaco sublimatur. Nemo eorum, quibus cum ego versatus sum, istiusmodi fixationem sulphuris probat, qualem Helmontius. Etenim in suo de elementorum mistura, nosse sese viam inquit, qua mediante sulphur quomodounque dissolutum reducatur in pulverem terrestrem fixum. Quem hic pulvis in arte vitraria usum habeat, author noster nullibi docet.

## C A P. CXXIX.

*Rubrum pellucidum.* Libavius l. 2.  
tract. 1. c. 35 conjecturando hunc ex  
auro colorem quasi acu tetigit, his  
verbis: *In ea sum sententia, à tincturā  
rubra auri, in liquorem vel oleum dissoluti,* & specialiter à crystallo Rubinum  
baud incommode formari posse: cuius  
suæ conjecturæ hanc rationem assi-  
gnat, quod Rubini frequenter in lo-  
cis, ubi aurum adest, inveniantur, id-  
eoque consentaneum sit aurum ibi-  
dem degenerare in hanc gemmam.

## C A P.


## C A P. C X X X I.

*Vitriolum Veneris.* Glauberus l. 2. furni philosoph. compendiosam hanc viam demonstrat: *Spiritus salis armniaci, æri, beneficio frequentis ignitionis & restinctionis calcinato, affusus, horæ unius spatio cœruleum colorem extrahit:* hunc dissoluto ære decanta, & loco frigido committe, & vitriolum dabit longe elegantissimum. Crollius in sua Basil. Chym. præparationem hujus medicinæ optimè describit. Beguinusc 17. hanc viam commonstrat: *Cuprum calcinatum, sive squamas cupri reduc in pulverem subtilem, quem in aceto distillato per diem naturalem digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde: & aliud reaffunde toties, donec non tingatur amplius. Depletiones filtra, & tres partes fac evaporare, vel distilla, quodque relinquitur in fundo vasis, ponatur in locum frigidum, sic generabitur vitriolum viride, obscurum.*

HISTO-

HISTORIA VITRI  
STILLATICI.

**H**oc vitri genus Serenissimus Princeps *Rupertus* primus ex *Germania* in *Angliam* intulit, & Regie Majestati exhibuit, quę illud Societati sue in Collegio *Greshamenſi* communicavit. Statim à societate delegatus est *Commissarius*, qui de eo quod sequitur retulit, prout in libro ejusdem societas, quod ad hanc rem attinet, consignatum, & eādem consentiente hoc transcriptum atque publicatum est: id quod tanto magis desideravi, ut hæc usque adeo exæcta procedendi ratio idea & exemplar esset cujuscunque alterius experimenti. Ita aº. 1661. Societati retulit Dn. *Rupertus Moray*.



A. B. filum. B.C. corpus. B. collum. A terminus  
vel extremitas fili.

Vitro constant viridi, bene purgato; ac nisi metallum, ut vocant, probè excoctum sit, nullius pretii sunt, sed crepant frangunturque statim atque in aquam decidunt.

Optima ratio faciendi istiusmodi vitra hæc est, ut virgâ ferreâ non nihil metalli ex olla assumas, & immediatè in frigidam stillare, ac tantisper ibi jacere permittas, donec refrigescat.

Si metallum nimis serveat, stilla vitri, ubi in aquam deciderit, dubio procul crepabit & frustillatim dissiliet.

Quodcumque vitrum in aquâ fine crepitum, donec refixerit, perdurat, id certò bonum est.

Exercitatissimus operarius debitum caloris gradum ignorat, nec quidquam effectum fessus, quod examen sustineat, promittere audet, pluraque dum fiunt pereunt; quandoque duo, quandoque tria, prius quam unum succedat.

Nonnulla quasi frigore diffissa factiscunt, non dissoluto corpore. Alia, dum

dum adhuc minus vel magis fervent,  
sine magno crepitu in frusta dirumpuntur: alia cum magno strepitu, non  
multò post quam deforbuerunt: alia  
neque franguntur, neque crepant, an-  
tea quam plane refixerunt: alia dum  
in aqua sunt, integra manent, & spon-  
te sua, non sine magno strepitu diffi-  
liunt, statim atque ex aqua prodierunt:  
nonnulla post horæ unius spa-  
tium. Alia ubi per dies vel septima-  
nas aliquot perdurarunt, nullo tan-  
gente dirumpuntur.

Si vitrum istiusmodi aliquod, dum  
fervet, ex aqua exemeris, pars colli-  
tenuior, & quicquid à collo filo de-  
pendet, & in aqua fuit, in minutis  
partes decidet, salvo manente cor-  
pore, utut cavitates non minores,  
quam quod diffiliit, habeat.

Quocunque in aere à filo depen-  
dens, vel in solo jacens refrigerescit, ean-  
dem per omnia, quam vitrum aliud,  
soliditatem &c. acquirit.

Vitri stilla in aquam decidens, cum  
exi-

exiguo quodam sibilo strepit, corpus ejusdem per exiguum aliquod spatiū fervet, pluresque ab eodem velut crepitantes scintillę erumpunt, quibus mediantibus subsilit & movetur: complures etiam ab eodem ubique bullæ in aqua, dum refrigerescit, ascendunt. Quod si aqua decem vel duodecim pollicum profunditatem habeat, bullæ antea quam superficiem aquæ attingant, evanescunt, eoque casu nihil præter exilem sonum observare licet.

Exterior vitri stillaticii superficies æque ut aliorum vitrorum glabra & lavis; vitrum vero ipsum intus spongiosum & cavernis pustulisque plenum est.

In fundo maximam partem orbicularē, margaritisque pyriformibus non absimile est, & in collum oblongius terminatur, ita ut nulla ex his vitris directa, sed maximam partem incurva, & in exiguae plicas atque arcus sinuata sint, ac tandem à collo in exiguum apicem desinant. Maxi-

hoc casu tantum recuperare licet, idque mediante plumbo, quo purgatores metallorum simul & qui examini præsunt utuntur, nec est præter argentum ullum aliud metallum, quod in testa descendat. Altera hujus accidentis ratio esse potest, quod plumbum in poros ollarum sese insinuans, & sensim prorepens, ac gravitate ac pondere corporis sui fundum ollæ pertransiens foramina post se relinquit, per quæ metallum effluat.

Author noster nullam hyacinthi ex vitro plumbi, nec vitri stanni vel cupri mentionem facit, supplente hunc defectum Porta lib 6. cap. 7. ubi hæc leges: *Hyacinthum effingere satis pulchrum, nec à vero admodum dissimilem. Fictili olla & dura plumbum immittatur, ac vitrariorum fornaci igni accommodetur, immoreturque per aliquos dies, sic plumbum in vitrum vertitur, & hyacinthinum colorem imitabitur.* & cap 9. *Testaceo vase igni durabili conjicito stanni libram, finito*

R. calę-

calefiat & liquefacit, & vitrarium fornaci in æstu flammorum accommodetur ferreis forficibus, triduo vel quadruplo: post amoto & frigefacto vase frangatur, & in superficie vitrum inveneries crocei coloris, turbidi, & si diutius in igne steterit, evadet perfectius, nec melius in hoc genere cognovimus, ex multis que experti sumus. Sed in pulvrem ritè redactum injici oportet, quod non solum pila & molis, sed porphyretico lapide, uti opus erit. Si flagrantius evenerit, vitrum addendo diluemus. Est & alius conficiendi modus amicis reservatus. Sint novem partes stanni combusti, septem plumbi, binæ cinnabaris, ferretti vocati Hispanici & tartari pars dimidia, lapidis sanguinei simplex, rubri pictorum quarta, age ut scis. De vitro cupri l. 6. c. 7. sic. Argentum validâ dissolves aquâ, projectis in aquas æreis lamellis, bærebit illis; collectum & exsiccatum vase fictili vitrarium fornaci accommodabis, non enim multo dierum spatio in smaragdum convertitur.

Sic

*Sic de aliis metallis periculum vobis re-lego, sat erit nobis viam aperuisse & inveftigasse.*

### C A P. LXXII.

*Smalti pictorum cœrulei:* Hujus compositionem nullibi apud scriptores invenio, sed ab honesti nominis vitrario edoctus sum, ex zaffera & cineribus smegmaticis simul calcinatis illud in fornace, ejusdem cum vitraria formæ fieri, idque à se in Germania factum esse. Sed de hoc, omniq[ue] alio naturali & artificiali colore in tractatu huic rei specialiter dicato.

*Aarum impedit effervescentiam vitri:* Eâdem ratione si parum olei vel sevi in ollam bullientis sacchari miseris, non exundabit, utut cum impetu sursum feratur.

### C A P. LXXIV.

Hæc crystallum colorandi ratio veram & naturalem methodum demonstrat, qua opalus, achates, jaspis,

R 2 chry-

chrysolitus, oculus cati, marmor &c.  
varietatem colorum, quam possident,  
acquirunt: nimirum ab exhalatione  
mineralium, quâ præexistens materia  
lapidis afficitur, haud secus atque cor-  
pus crystalli ab auripigmento ignium  
vi suscitato & adacto vario colore tin-  
gitur. Quod si materia lapidis pri-  
mò liquida, ideoque tincturæ capax,  
istiusmodi matricem vel alvum habet,  
ex qua exhalatio simplex procedit,  
simplex quoque & uniformis ille co-  
lor erit: si varia, color quoque pro di-  
versitate ascendentis vaporis varius  
erit. Veritas hujus rei frequenti ob-  
servatione in lapidibus translucidis  
majoribus confirmatur, quorum pars  
naturali colore tincta, pars ab omni  
colore vacua est, & instar glaciei tran-  
sparet: ut jam universus lapis aquæ  
congelatæ speciem referat, cuius pars  
primo congelans accessionem coloris  
sensit, reliqua non item, id quod in  
amethystis frequentius quam gemmis  
aliis videre est, quorum nonnulli ali-

quâ

quâ sui parte colorati sunt , nonnulli colore vel plane vacant , vel certis locis diversos colores referunt , quod aliis etiam quandoque gemmis evenit.

## C A P L X X V.

*Smaragdos imitari posse, &c.* Nihil hic quod alicujus momenti sit , tantum inventa sophismati vel fraudi via est. Cœterum , quandoquidem ars perfecte imitandi gemmas inventorî plus lucri allatura esset , quam adulterina alia quævis , idque sine aliquo forte hominum damno , imo si Chymicis credimus , cum magno eorum emolumento; cumque illa ars legibus quod ego sciam obnoxia non sit , nisi aurifaber gemmam adulterinam pro vera vendat; mirum non est, ad consequendum hunc finem adhibita esse tot remedia pastarum , duplicatum , foliorum , tincturarum in fundo , aliarumque compositionum & artificiorum , quorum maximè genuina & naturalia videntur , quæ au-

R 3                    thor

thor noster profert. De fraude in duplificando Ferr: Imperatus lib. 20. c. 14. refert: Mediolanensis quidam gemmarius smaragdum vendebat duplicatum novies mille ducatis, & fraus diu latuit.

Chymici his pastis peculiare, sed barbarum nomen imposuerunt, quod nullibi præterquam apud illos inventias: *Amausa* vocant: ita Libavius, Johannes Isaacius: sed Glauberus *Amafas*: id utrum à *Musaico* (non Mosaiaco, ut Vossius in glossario suo prolixo demonstrat) derivetur, determinare non ausim: etymon certe probabile admodum est: etenim Musaicum opus Hermolaus Barbarus ita describit: *Musivum opus, quod vulgo Musacum vocant, tessulatum lapillis variorum colorum, ex queis arte compositis & coagmentatis omne genus imaginum redditur.* Hæc opera antiquitus ex variis generis & coloris frustis marmoreis in figuras animalium formabantur, interposito nonnunquam auro,

ut

ut ex Plinio l. 36. c. 1. & Seneca ep. 86. apparet. Philander in Vitruvii lib. 7. c. 1. meminit reliquiarum pavimentorum quorundam, quæ ipse viderat, in quibus tessellatum marmor, crassitie minoris fabæ, sub variis coloribus piscium aliarumque rerum effigiem accurate æmulabatur. Nunc in locum marmoris, aliorumque lapidum successit vitrum tintatum. Libavius in suo syntagmate ait. *Saracenicis authoribus terra Saracenica vocatur.* Sed pastas & amausa inter se confundit. Verum est, si genus respicias, alterum ad alterius naturam quam proxime accedit, in eo tamen differunt, quod pastæ crystallo præparatæ, & cum modico vitri mistæ constant, & in pelluciditatem gemmæ elaborantur: sed encausta vel amausa plumbum calcinatum & stannum pro basi habent, à quo ob magnam ejusdem ingredientibus admistam copiam opacitatem, corpus, & soliditatem accipit. Glauberus furni philos. lib. 4.

R. 4. putat

putat casu inventas esse pastas , ab iis,  
qui igne vehementi calcinata corpora  
reducentes, eadem in vitrum conver-  
tunt, & ex Isaaco Hollando addit, ex  
metallis vitrificatis & reductis no-  
bilius metallum produci , ab auro  
nempe tinctoram , ab argento au-  
rum , & ab ære argentum &c. & in-  
signe vitrum ex metallis fieri posse, si  
crucibula satis valida adessent. Quic-  
quid porro pluribus verbis prosequi-  
tur , præparationem crystalli , ejus-  
demque efformationem & tinctoram  
concernens, nil nisi vulgare est.

## C A P. L X X V I.

Hartmannus in praxi Chym. hanc  
peculiarem viam præparandi crystal-  
lum pro gemmis habet : *Salis* inquit  
*tartari unciae duæ in aqua solvantur,*  
*boc pondo unum cineris fagi ut cineri*  
*capellæ fiat similis , humectetur :* inde  
*globuli in magnitudine pomorum for-*  
*mentur , exsiccentur , & in ollæ operculo*  
*concreta , in fornace figuli exurantur:*

ita

ita enim globuli aliquantulum colligescunt, sibique invicem adhaerebunt: hi itaque subtilissime conterantur, & lixivium ex eis paretur: hoc in salem usque coaguletur, & in hoc lixivio crystalli toties & tamdiu extinguantur, donec intra digitos conterere possis: hoc peracto, de sale in vase relicto aliquid per solutionem, coagulationem, & calcinationem toties repurgetur, donec nullæ amplius feces in solutione compareant. Eodem modo etiam salem tartari, ex tartaro albo præparatum. toties per solutionem, coagulationem & fusionem debes purgare donec ab omnibus fecibus sit mundus, & in igne non amplius strepet. Recipe hujus salis tartari partes duas, salis præcedentis præparati partem unam: haec invicem fiant fluida, habebis materiam, quæ omnes colores totius mundi recipit, & gemmis orientalibus similis appareat. Authores Chymici plerique omnes crystallum hac ratione præparant: nonnulli aceto vini utuntur, aquæ limpidæ loco. Ex

R 5                    iis,

iis, quæ de vitris stillatitiis postea dicuntur sumus, facile est discernere, quænam optima ratio, ideoque sequenda sit: & optima procul dubio hæc erit, ut eandem forti lixivio restinguamus.

Pastæ eâdem quâ vitrum ratione conficiuntur, nisi quod hoc metallo crystallino, illæ crystallo præparatâ constant, adhibitis iisdem utrobique coloribus, ideoque Porta vitrum suum tintatum, amethysti, rubini &c. nomine dignatur: periculum fieri poterat in adamante nostro Anglo, ut qui crystallo durior puriorque est.

### C A P. LXXVII.

Boetius de Boot, insignis de re gemmaria scriptor, de smaragdo ita habet; *Omnibus fere modis adulterari smaragdi possunt: nobilior modus fit crystallo, vitro, & silicibus calcinatis, & fusis, si iis exigua quantitas minii adiiciatur. Ita ego præstantes feci. Alii æs ustum in tenuissimum pollinem redactum addunt, adjectâ croci ferri dimidiato*

dato pondere, ac sex horarum spatio coquunt, ac vas per se refrigerari sînunt, gemmamque polituræ committunt. Si exacte quis operatus fuerit, Americanis omnino similes efficiet smaragdos. Garcias ab Horto eosdem in Bala-  
guata & Bisnager ex fragmentis vitri majoribus egregiè coloratos & prægrandes fieri tradit. Dalechampius putat jaspidem addendum esse. Bi-  
rellus lib. 8. cap. 9, 10. &c. eandem quam author noster compositionem, aliasque plures tradit. Aliter etiam ex minio & æris squama fit, cap. 5. ut hic cap. 78. Hartmannus varias rationes tradit, ac prior quidem, quæ animâ lunæ, solis & crystalli, nec non modico salis armoniaci fit, ob-  
scura est, & intelligi non potest: se-  
cunda ex unciis quatuor minii, dua-  
bus crystalli præparatæ, & drachmis duabus auri fit. Tertia ære calcinata  
& in pollinem redacto constat, ad-  
ditâ dupli quantitate arenæ vitra-  
riæ, omnibusque per dies quatuor

R. 6                  igne

igne vehementi, ac tandem per diem  
dimidium vehementissimo excoctis.  
*Quarta* crystallum ipsius præparatam,  
& æris modicum recipit, eâque ma-  
teriâ ollæ ad medietatem usque adim-  
plentur: inde per sex vel septem ho-  
ras leni igne, & postea vehementi li-  
quatur, ignis aufertur, & ollâ con-  
fractâ, quicquid intus est plumbispu-  
ma obductum, ab heterogeneis pur-  
gatur, & smaragdus apparebit ele-  
gans, qui in frusta dissectus debitè  
præparandus est. Sed non eodem  
semper modo succedit hoc negotium,  
& aëre opus est sereno. Quare au-  
gendo dosin, ollas adhibet quatuor,  
& una eademque opera diversi colo-  
ris smaragdos, alias aliis præstantiores  
producit. In primam ollam scrupu-  
lum unum æris; in secundam scrupu-  
los duos; in tertiam drachmam unam;  
in quartam drachmam unam cum di-  
midia recipit: atque hic subsistit: si  
enim plus æris addas, vitrum minime  
translucidum erit. Idem processus in

Jaspi-

Jaspide & topasio, addito croco Martis, & in saphiro additâ zafferâ locum habet.

Sed in hac compositione Mars Veneri suæ neque corpus, neque splendorem dat. Cardanus de var. lib. 10. c. 52. hunc colorem ex lapidibus fluviorum, in albedinem calcinatis, & cum æquali quantitate minii in crucibulo mixtis & liquatis, bis repetito opere, producit: sed hæc procedendi ratio plane obscura est.

Isaacus affirmat, vitriolo id fieri calcinato, & residuo calcis, primo aquâ salsâ, & postea recenti limpidâ, utrinque calida, subactis, qua ratione effectum reddunt longe quam antea majorem, & facilius, magisque perfecte liquefcunt.

Seneca epist. 91. Democritum ait invenisse rationem vertendi lapides in smaragdos: & Plinius l. 37. c. 12. tradit, existare in scriptis authorum diversas rationes tingendi crystallum, colore smaragdi, aliarumque gem-

ma-

marum, quæ omnia ab iis quæ l. 36.  
c. 26. de vitro obsidiano & myrrhi-  
no diversicolore dicta sunt fortassis  
non longe abeunt.

## C A P. LXXXI.

Bapt. Porta topasium ita singit:  
*Ad singulas vitri libras quarta unciae*  
*pars ferrei croci remiscetur, atque addi-*  
*tur tantillum minii, ut nitidius rutilet,*  
*& ad singulas libras tres minii uncias*  
*addemus: sed primo inditur minium*  
*post crocum.* Bootius hæc transcri-  
**bens**, ex authore nostro hæc subjungit, adjiciens: *Fac pollinem ex ære u-*  
*sto, cinnabari nativo, ac crystallo, qua-*  
*druplumque stanni usti adde, fusorioque*  
*vasi ex terra fortissimo inde fornacique*  
*committe per diem; sed non sit ignis ve-*  
*hemens, ac semper eodem gradu perma-*  
*neat, facile enim fluit pulvis prædictus.*  
Birellus hoc ultimo processu utitur,  
mutato cinnabari in minium, sed re-  
tentis iisdem verbis, ita ut Bootius  
hæc Birello, Birellus Portæ debeat.

Hart-

Hartmannus & Libavius cerussæ uncias tres, crystalli præparatę dimidiā adhibent. Author quadrig. chym. sal stanni in usus topasii facit.

## C A P. LXXXII.

Porta chrysolithum ita ementitur;  
*ubi topasium effeceris, addito plusculum æris, & hoc, ut aliquantis per vireat;*  
nam chrysolithus à topasio non nisi quod nitidus niteat, differt. Claveus argentum vidit per duos menses in fornace vitraria calcinatum, cuius pars duo-decima vitrum reddebat citrinum.

## C A P. LXXXV.

Glauberus saphiri colorem fingit marchasitā argenti in aqua Regis dis-solutā, & liquore silicum præcipitatā.

## C A P. XC.

*Ex auro colorem rubrum admirandum.* Chymistę menstruis suis auream ex auro tincturam promittunt: ego non infime conditionis Chymicum

cum audivi deposito haud levi pi-  
gnore offerentem , reducturum sese  
in pauca numero grana omnem auri  
quantitatem , quam extracta ab illu-  
stri ejusdem professionis viro vel opti-  
ma tinctoria contineret : sed oblata  
conditione nemo utebatur , ut jam in  
hoc processu aliquid deperiisse ne-  
cessesse sit . Certo novi , aurum aquâ  
Regis dissolutum , cutem tingere sa-  
turo purpure colore , idque per dies  
aliquot , & magnam aquę copiam ,  
affusâ hac solutione , eodem colore  
tingi . Glauberus egregium saphiri  
colorem eidem tribuit , si liquore si-  
licum præcipitetur . Tinctoria argenti  
cœruleum colorem non exhibet , sed  
album , teste omnem exceptionem  
superante authoritate Dn. Boylæi , in  
experimentis suis physiologicis p. 60.  
ideoque jam antea dixi , cœruleum  
colorem procedere ab ære , cui ar-  
gentum admistum sit .

*Ex granato Bohemico-Boetius de  
Boot affirmat , granatos Bohemicos  
colo-*

colorem in igne suum servare, id quod aliis ferè omnibus datum non est, ideoque Bohemici ad hos usus optimi sunt: calor tamen vitrariæ fornacis colorem eorumdem absimit, quem in igne ordinario servant.

## C A P. X C I.

*Cerussam tritam.* Author noster in præparando saccharo Saturni duabus viis utitur, una quæ mediante cerufa, altera quæ lithargyrio fit: *cap. 123.* hîc saccharum calcinat, & ex faccharo calcinato novum saccharum producit. Chymistæ communiter minio, nonnulli plumbo calcinato utuntur: sed omnes eodem tendunt. Observatum tamen est, à minio majorem salis copiam prodire, neque id mirum, majorem enim quam alia omnia calcinationem expertum est. Omnes solo vini aceto distillato utuntur: Beguinus tamen phlegma ejusdem substituit, ad quæ jure Commentator, *Deleatur.* Duo hic notabo: 1. Multo melius

melius & minus sumtuosum esse, si recenti semper minio acetum affundas distillatum, quam si illi, quo usus es antea: vilius enim est minium, & quicquid eidem boni sacchari ineſt, prima statim vice extrahitur; ut tacēam compendium aceti fieri, id quod in emolumentum operatoris cedit.  
2. Alterum, quod hic inserendum mihi videtur, nova ratio est, quam apud Chymicorum neminem legi, sed operando ipfemet inveni, quæque citius & uno momento rem perficit, atque in Chirurgicis negotiis, quibus illam dicavi, ordinariā non pejor, sed, quod sat scio, melior est: modus procedendi hic est: Recipe tenuissimas plumbi laminas, vel quod melius est, illud plumbigenus, quod in fenestrīs diu perstittit, idque aqua forti dissolute, (aqua bonæ notæ suo ponderi æquale plumbi pondus absumet) & plumbum dissolutum brevi in fundo vitri saccharum acquiret. Dimidiatę horæ spatio non exiguum ejus-

ejusdem quantitatem, in exiguo vi-  
tro, & modico arenæ, vel cinerum  
calore, ut & batillo super igne per-  
feci. Et certe hic processus, ut magis  
expeditus, ita minus sumtuosus est:  
quid autem hæc medicina in vitro  
præstare possit, dicere non habeo.

## C A F. XCIII.

Hic sextus liber de encaustis agit,  
quę Anglis *Enamels* vocantur, forte  
quia multus eorum in annulis usus  
est, vel voce deducta à Germanico  
*Emallieren*, quod Galli, à maille vel  
macula, quam repræsentat, *Esmailles*  
vocant. Latinis *ab inurendo*, quod  
est *nāvω*, *Encausta* vocantur; atque  
inde Lexicographorum *Encauston*, *en-*  
*caustice*, *encaustes*. Veterum tamen en-  
causta, de quibus Vitruv. l. 7. c. 9.  
Plin. l. 35. c. 11. Mart. l. 1. &c. à no-  
stris plane diversa erant. Salmasium  
in exerc. Solin: vide, qui de veterum  
encausto, & tribus ejusdem speciebus  
prolixe agens, tandem vere conclu-  
dit,

dit, periisse hanc artem. Porta ex Ita-  
lorum *Smalto* vocem Latinam facit,  
& *Smaltos* vocat, quę Libavio *Smalta*  
vocantur.

## C A P. XCIV.

*Eneauustum album.* Aliter ex Re-  
gulo antimonii fit, de quo dictum est  
supra. Libavius & Porta illud ex una  
parte plumbi calcinati, duabus stanni  
calcinati, & dupla quantitate vitri per-  
ficiunt.

## C A P. XC V.

*Colorem Turcoidis* Porta solā Zaffe-  
ra parat.

## C A P. XC VII.

Porta, ut *smalum viride* saturum  
efficiat, æs uustum, vulgo, ut ait, *Ræ-  
minella*, & ut author noster habet,  
*Ramina* dictum; ut dilutius, scoriam  
æris igniti adhibet, quę dum malleo  
percutitur, decidit.

## C A P.

## C A P. C.

*Nigrum*, quod Libavius & Porta ex purpureo & cœruleo colore faciunt, magnesiâ constat atque Zafferrâ, idemque processus, eademque per omnia dosis est, cum ea, quam author noster præscribit.

## C A P. C I I I.

*Rubrum auvinatum*, quod in textu purpureum redditum est, ego *rubrum* voco, & Libavio *croco Martis* fit.

## C A P. C V I I I.

*Lixivium ex Soda vitrarium & calce.* Multum curę impensum est in hoc menstruum: id quod calce & Soda fit, optimum est: cineres tamen, ut vocant, ollares & alumén idem prestant. Novi ingeniosum virum nobilem, qui omne genus colorum pro plantis, mediantibus his sibi comparavit, & flores cujuscunque generis, maxime conspicuos, propriis suis atque

que genuinis coloribus in ingenti volumine ad vivum adumbravit. Virtus cinerum ollarium, quos tinctores nostri Ware vocant, in *Indico & Glaſto* conspicua est, quorum neutrum sine his cineribus tinturam suam reddit. Colores magis perspicui solutionem aluminis tantum requirunt, à sale acriore deſtruuntur, ut in arte tinctoria & cineribus ſmegmaticis apparet, & à tartaro ut cap. 4. flavus vitri color non producitur.

## C A P. C X.

*Ex quibuscumque herbis vel floribus.*  
Experimentum authoris bonum est, at vero si panniculus lineus colore inficiatur, melius signum erit. Nautis peregrè euntibus à Mercatoribus illud præscribitur, ut plantam mandentes videant an saliva bene tincta sit, quo caſu bona eſt: idemque, in charta tenui & linea veste locum habet.

Ego catalogum vobis exhibebo  
plan-

plantarum &c. quæ colorem suppeditant, & consequenter aptæ sunt ad extrahendam laccam, & primo quidem earum, quibus tinctores utuntur, quales sunt *lignum nephriticum*, & tres illius plantæ species quam *Fusticks* Angli vocant, pro flavo & viridi colore, *Campeiana* & *Sylvester* duo scilicet granorum vel baccarum minorum genera, quæ ex India occidentali ad nos devehuntur, & eundem quem *coccum infectorium* colorem, sed minus illustrem præbent, ideoque cocci vices obeunt: *papaver erraticum*, *sumach*, *glycyrrhiza*, *curcuma*, *flores carthami*, *anotto* quod ex fuco marino tinctorio, urina & adipe fit, & venustum colorem coccineum præbet: *genista tinctoria* pro flavo.

Alia sunt quibus tinctores non utuntur, *crocus* scilicet, *phalangium*, *tradescanti* quod plenum & elegans cœruleum reddit: *cyanus*, quo illustris tinctorum cyaneus constat: *algæ marina* *tinctorum*, diversa à fuco: utrius-

utriusque mentionem Joh. Bauhinus facit: *hyacinthi: colchicum nostrum purpureum: baccifera triplex*, rubrum profundum exhibens: *heliotropium*, in cuius succo panniculi tinti colorem illum exhibent, quem vulgo *Turn-sole* vocamus: *Blattaria* flore cœruleo & flavo: *convolvulus Americanus* folio contracto. Nonnullæ plantæ succum coloratum habent, quales sunt *tithymalus*, *sonchus asper*, *dens leonis* folio hirsuto, *birci barba*, *periploca*, *rapunculi*, *lactucæ* &c. quarum pars maxima, si in sole accetur flavescit, quo ipso iudicor ut credam, cambajam tithymali succum esse: at vero *hypéricum* & *androsænum* rubentem succum in capite gerunt: *chelidonium majus* & *felfel Alpini* flavescentem præbent. Ita plurimum plantarum baccae colorem exhibent, ut sunt *solanum hortense* & *lethale*, *utraque bryonia*, *ruscus*, *polygonatum*, *aconitum bacciferum*, *rubus Idæus*, *cerasus ferax*, *Spiraea cervina*, *pictorum succus viridis*,

*nuces*

Maxima pars eorum , quæ in aqua fiunt protuberantiam & gibbū quendam habet, imminentem parti corporis capacissimæ , & frequenter in illud latus inclinantem , ubi collum terminatur : ita tamen, ut nonnunquam illam partem vitri occupet, quæ in vase, in quo vitrum fit, superior est.

Si vitri stilla in aquam decidat ferventem , certò frangetur & crepabit, antea quam deferbuerit, vel momento post. In oleo olivarum minus quam in frigida periclitatur.

In oleo plures numero, & aliquanto quam in aqua majores bullas emitunt, & ebullitio illa diutius quam in aqua durat. Quæ in oleo fiunt, sulcos minus quam in aqua facta spatirosos habent, eorumque nonnulla prorsus lævia sunt, & protuberantiis illis carent, quas alia possident.

Aliqua pars colli eorum , quæ in oleo facta sunt, nec non aliqua filii tenuioris in oleo restincti pars instar vitri communis frangitur. At vero si

T collum

collum prope corpus frangas, & corpus ipsum cauâ manu detineas totûm crepabit & frangetur, sed minore quam quæ in aqua fiunt vi & strepitu, & ita, ut in æquè minutis partes non dissiliat, & frusta, usque dum dirimantur, cohærent: atque hoc casu tractus & lineæ in eo apparebunt oblongæ, in centrum corporis collimantes, & cavernas vel cavitates ejusdem transversim secantes, sed minores numero & mensurâ quam in his, quæ in aqua fiunt. Quod si vitrum in acetum vini distillet, crepabit utique, & antea quam refrigerescat, certò diffringetur, atque dum decidit, majorem quam in aqua strepitudinem edet, sed bullas excitabit, minus quam in aqua notabiles.

In lacte strepitudinem nullum edit, nec bullas, quæ quidem percipi possint, excitat: nihilo tamen minus crepat, & in frusta, antequam refrigerescat dissolvitur.

In spiritu vini plures quam in alio  
milloribus quovis

quovis liquore bullas excitat, & dum integrum est, ultro citroque volatum, magis quam in aliis liquoribus agitatur, & nunquam non crepat & in frusta concidit. Si quinque, sex vel plura vitra stillaticia eodem tempore in spiritum vini decident, flammam quidem vinum concipiet, at saporem particularem nullum.

In aqua solutionis nitri vel salis ammoniaci nihilo quam in aceto vini melius succedit.

In oleo terebynthinae vitrum unum haud secus atque in spiritu vini frangebatur: ab altero flammam concipiēbat ut jam nulli amplius usui esset.

In Mercurio, bacillo & vi, ut mergeretur, subactum, superficiem acquisivit rudem & depresso: at vero experimentum perfici non potuit, cum subigi, usque dum refriesceret non posset.

Cum in vitro instar calicis cylindraceo & frigidâ repleto experimentum caperetur, unum successit, vitris

T 2 sex

sex vel septem aliis in frusta diruptis.  
 Id tantum à nonnullis è Societate,  
 vitrum statim à lapsu manu prehen-  
 dentibus observatum est, ad primum  
 ejusdem lapsum in aquam, & ali-  
 quanto post, durante rubro illo calo-  
 re, rubras ab eodem scintillas in aqua  
 promanasse, eodemque momento,  
 quo hæ particulæ, nec non bullæ, ab  
 eodem manifeste prodeuntes, erum-  
 pebant, non diffringi tantum, idque  
 aliquando non sine satis magno stre-  
 pitu, sed moveri etiam atque subsilire  
 corpus vitri, tam illius quod perma-  
 net, quam quod frangitur.

Ab iictu levioris mallei, vel alterius  
 cuiusque durioris armamenti vitrum  
 stillaticium non atteritur, si tamen  
 non alibi quam in ventre percutiatur.

Apicem ejusdem frange, & statim  
 in minutissimas partes dissiliet, idque  
 non sine ingenti vi & crepitu, & par-  
 ticulæ illæ facili negotio in pulverem  
 rediguntur.

Vitro fracto, si liberum quaqua ver-  
 sum

sum sese extendendi spatium scintillæ  
inveniant, in orbem, eâdem quâ py-  
roboli minores, quos ob similitu-  
dinem *mali granati Granatos* vocant,  
violentâ disperguntur.

Nonnulla vitra affrictu sicci lateris  
in frusta dissiliunt, statim atque in  
fundo nonnihil attrita sunt: alia nisi  
semitrita perdurant. Fuit, quod di-  
midia circiter parte absuntâ sepositum,  
paulo post nullo tangente dissili-  
liret. Aliud affrictu lapidis, & adjectâ  
aquâ & smiride ad collum usque de-  
tritum, perdurabat.

Vitrum in manu *cujusquam* sub  
aqua fractum, manum gravius & stre-  
pitu majore percellit, quam in aere, ac  
etiamsi prope superficiem aquæ deti-  
neatur, minutarum tamen particula-  
rum nulla extra aquam fertur, sed con-  
trario quam in aere modo, citra di-  
spersionem in aquam decidit: ac si  
unum ex his vitris in Dn. Boylæi ma-  
chinam mittas, bene vacuato recipi-  
ente ruptum, haud secus atque in

T 3              libero

libero aere quaquaversum diffiliet.

Si vitrū istiusmodi in igne caleficeris, instar vitri ordinarii sese habebit, nisi quod temperamentum ejusdem ita debilitatur, ut citra fracturę periculum minus quam antea flecti possit.

Vitrum stillatitium lithocollā collocatus munitum, fracto apice strepsum edit, quam si manu detineatur, minorem, sed ita ut totum intus diffissum esse liquido appareat; ipse etiam color in cæsium degenerat, planā manente externā superficie, sed illum in modum collisā, ut exemptę partes in floccos abeant, conicas quandoque figurās repræsentantes & usque adeo fragiles, ut facili negotio in pulverem redigantur.

Vitrum istiusmodi aliud lithocollā undequaque pollicis unius crassitie, testum, rupto apice lithocollam omnem, haud secus ac granatus minor bellicus, in frusta comminuebat.

Duo vel tria illius generis vitra ad gemmarium in hunc finem missa, ut

mar-

margaritarum instar perforarentur,  
adacto proprius terebello, statim  
in frusta dissiliebant, haud  
aliter, ac solent, qui ru-  
pto apice dissiliunt.



T 4 APPEN-

## APPENDIX.

*Quia frequens fornacum in hoc opere  
mentio fit, ex re visum fuit, subjunge-  
re quæ de hoc negotio Agricola non  
minus eleganter quam perspicuè tra-  
didit, adjectâ figura fornacum & in-  
strumentorum, quæ apud Amstelodam  
menses in usu sunt, nec non nomen-  
clatura eorum, quibus Londinenses  
vitrarii, Dn. Meretto teste in elabo-  
rando vitro communi utuntur. Et  
Agricola quidem lib. 12. de reme-  
tall. sic habet.*

**R**estat vitrum, cuius confectura  
propterea huc pertinet, quod  
ex succis quibusdam concretis, & sa-  
bulo, vel arena vi ignis & arte subtili  
exprimatur: & quod expressum, ut  
succi concreti & gemmæ atque lapi-  
des quidam, transluceat: ut lapides li-  
quescentes & metalla fundi possint: sed  
primò mihi dicendum est de materia,  
ex qua vitrum conficitur: deinde de  
fornacibus, in quibus conflatur: tum  
de

de ejus conficiendi ratione. Confit autem ex lapidibus liquefcientibus & ex succis concretis, aut ex aliarum rerum succis, qui cum his naturali cognatione junguntur. Lapides quidem liquefcientes, si fuerint candidi & translucidi, ceteris prestant: quibus de causis ad crystallos primas deferunt: ex his confractis in India fieri vitrum tam translucida facultate præcellens, ut nullum cum eo comparari possit, autores esse Plinius scribit: secundas tribuunt lapidibus, qui, tametsi eis duricia crystallorum non sit, tamen simili modo candidi sunt & translucent: tertias dant his lapidibus candidis, qui træslucidi non sunt. Eos autem omnes prius urere necesse est: postea pilis subjectos sic frangere & comminuere, ut inde fabulum fiat: tum cribrare: quocirca, si tale fabulum vel arena, se vitrariis ad ostia fluminum ostendit, eos urendi & tundendi labore levat. Quod verò ad succos concretos attinet, primæ deferuntur nitro: secundæ

T 5 sali

sali fossili candido & translucido : tertiae sali , qui conficitur ex lixivio, ex cinere anthyllidis , aut alterius herbæ falsæ facto. Sunt tamen qui huic sali, non illi , secundas tribuunt. Verum fabuli vel arenæ , ex lapidibus liquefcentibus confectæ , portiones duæ cum nitri vel salis fossilis, aut ex herba falsa facti unâ commisceantur : ad quas adjiciatur minuta magnetis particula : certe singularis illa vis nostris etiam temporibus æquè ac priscis ita in se liquorem vitri trahere creditur, ut ad se ferrum allicit: tractum autem purgat , & ex viridi vel luteo candidū facit: sed magnetē postea ignis consumit: qui vero jam dictis succis carent, ipsi duas portiones cineris quernei vel lignei, vel cerrei, aut, si hi in promptu non fuerint , fagini vel abiegni cum fabuli vel arenæ permiscant, & addunt modicum salem , ex aqua salsa vel marina factum , atque exiguam magnetis particulam sed isti minus candidum & translucidum vitrum assur-

conficiunt : verum cinis ex antiquis arboribus fit : quarum truncus , ubi assurrexit ad altitudinem sex pedum cavatur , & injecto igni arbor tota comburitur , ac in cinerem vertitur: quod fit hyeme cùm nives diutinæ sedent , vel æstate , cùm non pluit: nam imbres aliis anni temporibus quod cineres cum terra misceant , impuros reddunt : quamobrem tunc ex iisdem arboribus in plures partes sectis , & sub te<sup>c</sup>to combustis , cinis confiat . Sed vitariis aliis tres sunt fornaces , aliis duæ , aliis una: quibus tres , hi in prima coquunt materiam , in secunda eam recoquunt , in tertia refrigerant vitrea vasa & cætera opera cudentia : eorum prima fornax camerata & furno similis sit : in cuius superiori camera , longa pedes sex , lata quatuor , alta duos , lignis aridis accensis res mistæ coquantur acri igni donec liquefcant , & in massam vertantur vitream : et si nondum satis à recreemento purgatam : ea refrigera-

rata

rata extrahatur & in partes dividatur : in eadem fornace ollæ , quæ continebunt vitrum , calefiant.


*Primæ fornacis inferior camera A.*

*Superior B.*

*Vitrea massa C.*

**Secunda**







Secunda fornax rotunda & lata  
pedes decem, alta octo, extrinse-  
cus, ut sit firmior, cingatur quin-  
que arcubus sesquipedem crassis: ea  
item constet ex duabus cameris: qua-  
rum inferioris testudo sit crassa ses-  
quipedem: ipsa camera habeat à fron-  
te os angustum, ut ligna in focum,  
qui est in ejus solo, imponi possint:  
in summa verò & media ejusdem te-  
studine magnum foramen rotundum:  
quod ab ea pateat ad superiorem ca-  
meram, ut flammæ in ipsam penetrare  
possint. At in superioris cameræ  
muro inter arcus sint octo fenestræ  
tantæ, ut per eas ollæ ventrosæ in solo  
cameræ circum magnum foramen  
collocari possint: quarum ollarum  
crassitudo sit ad digitos duos, altiu-  
do ad totidem pedes, latitudo ven-  
tris ad sesquipedem, oris & fundi ad  
pedem. In posteriori fornacis parte  
sit foramen quadrangulum, cuius la-  
titudo atque etiam latitudo ad pal-  
mum: per quod calor penetret in  
tertiam

tertiam fornacem, cum hac conjunctam: ea quadrangula & longa pedes octo, lata sex, similiter constet ex duabus cameris: quarum inferior à fronte habeat os, ut ligna in focum, qui etiam est in ejus solo, imponi possint: ab utroque oris latere in muro sit oblongi vasis fictilis receptaculum, longum circiter pedes quatuor, altum duos, latum sesquipedem. Superior verò camera habeat duo foramina, alterum à dextro latere, alterum à sinistro, tam alta & lata, ut vasa illa commode in eam imponi possint: quę vasa sint longa pedes tres, alta sesquipedem, lata inferiori parte pedem, superiori rotundata: in his opera vitrea jam conflata recondantur, ut mitiori calore refrigerentur: quę ni ita paulatim fuerint refrigerata, disrumpuntur. Deinde vas is ex superiori camera extractis & repositis in receptaculis prorsus refrigerentur.

*Secundæ*





*Secundæ fornacis arcus A.*  
*Ejus cameræ inferioris os B.*  
*Fenestræ superioris cameræ C.*  
*Olla ventroſæ D.*  
*Tertiæ fornacis os E.*  
*Receptacula vasorum F.*  
*Foramina superioris cameræ G.*  
*Vasa oblonga H.*

**At**

At quibus duæ sunt fornaces , eo-  
rum partim in prima coquunt mi-  
sturam , & in secunda non modò ean-  
dem recoquunt , verùm opera etiam  
vitrea reponunt : quanquam in di-  
versis cameris partim in secunda ma-  
teriam coquunt , pariter & reco-  
quunt , in tertiam verò opera vitrea  
recondunt : atque ita illi carent tertia  
fornace , hi prima: sed istiusmodi for-  
nax secunda differt ab altera fornace  
secunda : etenim rotunda quidem  
est , sed ejus cava pars lata pedes  
octo , alta duodecim , quod constet  
ex tribus cameris : quarum infima  
non dissimilis est inferiori alterius  
secundæ fornacis. In mediæ verò  
cameræ muro sunt sex fornices : quæ  
cum ollæ calefa&tæ in eam impositæ  
fuerint , etiam luto obstruuntur re-  
li&tis modicis fenestellis : in hujus  
mediæ cameræ summa & media parte  
est foramen quadrangulum , cuius  
longitudo , itemque latitudo ad pal-  
lum : per id calor penetrat in su-  
premam



Antoni Neri Florentini, *De arte vitraria libri septem, & in eosdem Christoph.* ... - [page 472](#) sur 515



premam cameram : quæ posteriori parte habet os , ut in oblongum vas fictile , in ea locatum , opera vitrea paulatim refrigeranda reponi possint . Ea autem parte solum officinæ est altius , aut scamnum habet appositum , ut vitrarii concidentes commodius opera possint recondere .

*Alterius fornacis secunda camera  
infima A. Media B. Suprema C.  
Ejus os D. Foramen rotundum  
E. Foramen quadrangulum F.*

Sed

Sed qui carent prima fornace , hi  
cum munus diurnum perfecerint ,  
vesperi materiam in ollas injiciunt:  
quæ noctu cocta liquefcit & in vitrum  
abit. Duo autem pueri intediu no-  
etuque alternatim ignem alunt aridis  
lignis in focum impositis. At quibus  
una tantummodo fornax est, utuntur  
ea secunda , quæ ex tribus cameris  
constat : nam ut proximi materiam  
vesperi injiciunt in ollas: manè verò  
recrementis detractis opera vitrea  
conficiunt : quæ in supremam came-  
ram , ut alteri, recondunt. Verum  
secunda fornax , sive ex duabus , sive  
ex tribus cameris constiterit , atque  
etiam prima , fiant ex lateribus crudis  
in sole siccatis: qui ducti sint ex terra,  
quæ facilè igni neque liquefcit , nec  
in pulverem resolvitur : & quæ à la-  
pillis purgata sit, atque bacillis verbe-  
rata : eadem terrâ calcis loco lateres  
interlinantur: ex eadem figuli forment  
tam vasa quam ollas , eaque in umbra  
siccent. Duabus partibus absolutis  
restat

restat tertia. Massa vitrea in prima fornace eo, quo dixi modo, confectâ & fractâ ministri secundam excalfaciunt, ut ea fragmenta recoquunt. Dum verò hoc agunt, interea ollæ in prima fornace primum lento igni calefiunt, ut humorem exhalent: deinde acriori, ut siccatae rufescant: mox vitrarii hujus os aperiunt, & ollas forcipe prehensas, si rimis non fatiscunt, celeriter in secunda reponunt: & recalfactas fragmentis vitree massæ, vel vitri complent: deinde fenestras omnes luto & lateribus obstruunt: cujusque loco duabus tantummodo fenestellis relictis, de quarum altera inspectant & fistula recipiunt vitrum, quod ollę in se continent: in altera reponunt alteram fistulam ut calida fiat: utraque orichalcea, vel ænea, vel ferrea est, tres pedes longa: quin ante fenestellas crusta marmoris fornici imponitur: atque ei rursus terra aggerata & ferrum: hoc fistulam in fornacem immissam retinet,

net, illa oculos vitrarii ab ignis calore  
tuetur : his omnibus ordine factis vi-  
trarii opus perficiendum aggrediun-  
tur. Lignis autem aridis , quę flam-  
mam , non fumum emittunt , frag-  
menta recoquunt: sed quanto diutius  
recoixerint , tanto puriora & magis  
translucida ex eis fiunt opera : tanto  
minus maculosa & vesiculis turge-  
scientia : tanto denique facilius vitrarii  
suum munus exequuntur : quocirca  
qui materiam , ex qua vitrum confi-  
citur, unam modo noctem coquunt,  
ac mox ex ea opera vitrea efficiunt,  
minus pura & translucida faciunt,  
quam qui primo massam conficiunt  
vitream , dein ejus fragmenta , diem  
noctemque recoquunt: atque hi etiam  
minus pura & translucida , quam qui  
duos dies noctesque eadem reco-  
quunt : nam vitri bonitas non solum  
in materia, ex qua conficitur, sita est,  
sed etiam in coquendo. Sæpius autem  
vitrarii fistulis rapiunt experimen-  
tum : sed quam primum ex eo didice-  
rint

rint fragmenta recocta satis esse purgata , quisque altera fistula in ollam demissa , & paulatim versata , recipit vitrum: quod tanquam latus aliquis & glutinosus succus ad eam adhæret; & quidem globulosum. Recipit verò tantum , quantum ad opus , quod efficere vult , satis est: id marmori impressum volvit & revolvit , ut adunetur : atque per fistulam inspirans vesicę instar inflat: quam fistulam quoties inspirat , sepius verò inspirare necesse habet , toties eam repente remotam ab ore ad maxillam admovet , ne flammarum spiritu reducto in os trahat: mox fistulam sublatam circum caput in orbem torquens vitrum facit longum , aut idem in ḡeo instrumento cavo versans figurat: tum recalfaciendo , inflando , premendo , amplificando in poculi , vel vasis , vel alterius rei figuram mente conceptam format: deinde rursus marmori imprimit , atque sic fundum dilatat : quod altera fistula in partem interiorem compellit:

lit: postea forfice ejus os amputat: atque, si res hoc postulat, pedes & ansas affingit: quinetiam, si ei libitum fuerit, inaurat, & variis coloribus pingit. Postremò in oblongo vase fætili, quod est in tertia fornace, vel in suprema secundę camera reponit, sinitque refrigerari: quod cum talibus operibus sensim refrigeratis plenum fuerit, bacillo ferreo lato, sub ipsum acto, sublatum in sinistrum brachium in altero receptaculo collocat.

Vitrarii autem diversas res efficiunt: etenim scyphos, phyalas, urceos, ampullas, lances, patinas, specularia, animantes, arbores, naves: qualia opera multa preclara & admiranda, cum quondam biennio agerem Venetiis, contemplatus sum: in primis verò anniversariis diebus festis ascensionis dominicę cùm venalia essent apportata Morano: ubi vitrarię officinę omnium celeberrimę sunt: quas vidi cum aliās, tum maximè cum certis de causis Andream Naugerium  
in





in edibus, quas ibi habebat, unâ cum  
Francisco Asulano convenirem.

*Fistula A.*

*Fenestella B.*

*Marmor C.*


*Forceps D.*

*Instrumenta quibus formæ sunt datae E.*


Resta-

Restabat ut non formas modo for-  
nacum , quæ *Amstelodamensisbus* in  
usu sunt, earumque instrumenta , sed  
omnem etiam universi , operis appa-  
ratum & procedendi rationem succin-  
de & breviter adumbraremus. Sed  
enim quia potissima illius artificii  
Dn. Merrettus cum cura profe-  
cutus est , contenti erimus ea  
adduxisse , quæ si rem per  
se obscuram non omnino  
planam reddere, cer-  
te illustrare tanti  
virilabores po-  
terunt.


IN-



Antoni Neri Florentini, *De arte vitraria libri septem, & in eosdem Christoph.* ... - [page 484](#) sur 515



INSTRUMENTA  
Et  
FORNAX VITRARIA  
apud Amstelodamenses.




- a. a. a. *L*amina marmorea vel ferrea, super quibus metallum ubi ex fornace recens prodijt, ut adunetur hinc inde versant.
- b. b. *Bocca*, os vel Orificia, per quae ollas in fornacem inferunt & metallum ex ollis eximunt.
- c. *Orificio aliud minus*, Italis Bocarella dictum, per quod diversum vitri genus educunt.
- d. *Murus transversus*, qui arcendo calori & firmandis, ut vocant Halsinellis inservit.
- e. *Halsinella* vel unci in quibus instrumenta recumbunt.
- f. *Instrumenta vitrariorum*, qualia sunt cannæ, spiei, pontello.
- g. *Rutabulum* quo carbones cineresque versant & commovent.


V

h. Co-

- h. Cochleare majus aneum quo cineres lixiviumque ex lebete transfundunt.*
- i. Cochleare minus quo metallum in fornace versant, & ex olla in ollam transferunt.*
- k. l. Batillus major & minor, quibus decussas à cannis vitri particulas excipiunt, & in ollas conjiciunt. Quorum minor. l. ejus magnitudinis est, ut per orificia b. b. commode transfire possit.*
- m. Pars fornacis quam Leeram vocant, in quo vitra sensim defervescunt.*
- n. Orificio Leeræ, per quod vitra in Leeram inferuntur.*
- o. Extremitas Leeræ, quæ in cameram definit, ubi vitra jam refrigera ta seponuntur.*
- p. Olla vitrariorum triangularis qua Amstelodamenses utuntur.*
- q. Olla vitrariorum rotunda qua Harlemi utuntur.*

A. For-





- A. *Forfex Italica tagliante dicta, qua superfluitates vitri resecant.*
- B. *Tudicula pluribus locis perforata, qua sal Alkali subsidens excipiunt.*
- C. *Instrumentum Italica Borsella dictum, quo vitra pro re nata coarctantur vel extendunt, & lavigant.*
- D. *Borsella da fiori Italica, qua vitrum vellicando diversi generis flores vel ornamenta efficiunt.*
- E. *Borsella puntata, qua vitrum extrendendo & replicando funis in modum contorquent.*
- F. *Canna vitrariorum, aliqua sui parte ligno, ob calorem & ut tanto commodius tractari possit, vestita.*
- G. *Instrumentum quo in conflandis vasis urinarijs utuntur.*

V 2

De

*De instrumentis quibus vitra-  
rij apud Anglos utuntur, Cl. Dn.  
Merrettus appendicis loco  
hac habet.*

**C** Apite de Fornacibus recensui instrumenta quibus utuntur in elaborando metallo crystallino : Cæterum quia nullam eorum mentionem feci , quibus utuntur in elaborando vitro communi, en illa tibi eo qui sequitur ordine.

Two Bars , *Vellæ duo , quatuor aut circiter cubitos longi , quibus ollas attollentes in fornacem mittunt.*

A Padle. *Pala qua cineres & arenam in calcaria versant atque commovent.*

Rakes. *Rutabulum quo cineres & arenam hinc inde corradunt.*

Procers. *Instrumenta sunt ferrea , in extremitate uncinata , quibus ollas suo loco , & ad utrumque orificij fornacis latus unam , ita collocant*

*ut*

*ut nec procul nimis, nec nimis prope  
adstant.*

Ladles. *Tudiculae, quibus metallum  
ex olla alia in aliam transfundunt,  
sive id fiat ob fracturam ollae, sive  
aliam ob causam.*

Smal ladles. *Tudiculae minores, qui-  
bus operarij sal alkali & recremen-  
ta quæque despumando ab ollis operi  
inservientibus auferunt.*

Strocals. *Instrumentum est oblongius  
ferreum instar batilli, quo metallum  
ex olla disrupta in integrum trans-  
ferunt.*

Forks. *Furcae, quibus intermedia cla-  
throrum foci vellicant, ut cineres  
tanto facilius descendant, & ignis  
reddatur luculentus.*

Sleepers. *Vectes vel clathri majores,  
quibus transversim incumbentes mi-  
nores alij impedimento sunt, quo  
minus carbones descendant, & li-  
berum cineribus transitum permit-  
tunt.*

Ferrets. *Instrumenta sunt ferrea, qui-  
bus*

*bus experimentum capiunt an metal-  
lum operi aptum sit, nec ne : quibus-  
que orificia ampullarum vitrearum  
formant.*

**Fascets.** *Instrumenta sunt ferrea, quæ  
in ampullas mittuntur, ut deferri  
commode ad calefaciendum pos-  
sint.*

**The pipes.** *Cannaæ sunt ferreaæ, quas  
inflando vitrum formant.*

**Pontee stake.** *Ferrum est, cui ligni  
particula incumbit, in qua vitrum  
à cannis ablatum hinc inde versant,  
ut instrumento ponte dicto adnecta-  
tur.*

**Shears.** *Instrumenta sunt quibus vi-  
trum formatur & absolvitur.*

**Scisslers.** *Quibus vitrum resecant la-  
vignantque.*

**Cranny.** *Ferrum est orbiculare in, quo  
vitrum versantes collum ejusdem  
tenuius reddunt.*

**Tower.** *Ferrum est, cui Pontee dum  
vitrum calefit incumbit.*

**Diversæ formarum vel typorum spe-  
cies,**

cies, quibus mediantibus varias fi-  
guras, & protuberantias, pro cuius-  
que typi qualitate & figura effor-  
mant.

V 4

In-

*Index Rerum & Verborum  
Memorabilium.*

A.

- A**Chates ex vitro ut fiat. 87: 369, 379  
Ægyptii artis vitrariæ periti. 255  
Æris tremuli calcinatio, 41: 45. Ejus  
natura, *ibid.* & 45. Perfectæ calcinationis  
signa, 50. Idem ter calcinatum tingendo  
vitro, 49. Idipsum ut sumptu minore  
fiat. 54  
Æris usus in Officina vitrariorum improba-  
tur, 14: 299. Ejus bracteæ ut formen-  
tur, 357. Ejus calcinatio vitriolo Veneris  
facta. 349  
Æs quomodo calcinetur, 34. 35. Quem in fi-  
nem, *ibid.* Ejus quinque modi descripti. *ibid.*  
Æs ex cupro & lapide calaminari factum, 353.  
Ejus processus enarratur. *ibid.*  
Alcali quid sit. 26. vide Kali.  
Alcalisatum sal quid sit Chymicis. 308  
Alga Vitrariorum. 309  
Alumen roccæ. 73  
Amausa quid. 382  
Amethysti color in vitro, 109: 372. Frittam  
Crystalli desiderat. *ibid.*  
Animam Saturni extrahere. 215: 216  
Antimonium an vitrum tingat. 329  
Aqua fortis Anglico vitriolo facta nullius pre-  
tij, 350. Ex vitriolo Gedanensi lauda-  
tur, 366. Qualis pro extrahendis coloribus  
bonæ notæ usurpanda, 350. Ejus con-  
fectio

I N D E X:

- fectio potentissima, 73: 79. Quid circa  
hujus præparationem necessario observan-  
dum. 367
- Aquam fortē quilibet pro se præparare de-  
bet, 365. Quare. ibid.
- Aqua marina stupendæ pulchritudinis, 59.  
Eadem in Crystallo artificiali, Italis Bol-  
lito dicta 50. & seqq. Ejus color ex scoria  
56. in vitro plumbi. 129
- Aqua marinæ color in arte vitraria primarius  
est, 44. Ejus confectio, ibid. & 47. Re-  
spuit magnesiam, 44. Ex crystallo artifi-  
ciali elegans magis paratur quam ex vitro  
communi. ibid.
- Aqua regia, quā aurum & metalla reliqua dis-  
olvuntur, argento excepto, 80. Quid circa  
ejus compositionem observandum. 368
- Arabicus color. 50
- Arbores quæ ignem alunt vehementem, 322  
323.
- Arena in officinis vitrariorum, quando ad-  
hibetur, 21: 304. Qualis adhibenda, ibid.
- Ubi plerumque reperiatur, ibid. Ejus va-  
rietas. ibid.
- Arsenicum Chryſtallinum. 73: 136.
- Arts elaborandi vitrum inter recentiorum in-  
venta, 260. Ejus cognitionem vero esse  
antiquissimam, ibid. Asiae ignota fuit, ex-  
cepta Sidone, & China, quibus sero inno-  
tuit. 256, 26
- Asteriæ color in Crystallo montana. 136
- Aureus color in vitro fastidiosus, 104. Sum-  
V 5 mam.

## I N D E X.

mam attentionem desiderat, <i>ibid.</i>	Idem co-
lor in vitro plumbi.	132
Aurum impedit effervescentiam vitri.	379

## B.

<b>B</b> Alassis color in crystallo montana ,	136.
In vitro.	215
Boccarellæ quid sint.	282. 449
Bollito quid sit, 1.8.29.44. Quomodo fiat, 8.	
& seqq.	
Borsella quid sit Italis ,	451.
Borsella da fiori,	
<i>ibid.</i> Borsella punctata, <i>ibid.</i> Earum figu-	
ræ expressæ.	ibid.
Britanni se vitro quondam inficiebant.	237

## C.

<b>C</b> Admire proprietas.	41
Cæruleum Germanicum ut fiat.	195
Cæruleus vel aquæ marinæ color simplex.	
47.50.58.344. In vitro plumbi.	129
Calcaria quid sit, 10.20.278. Ejus forma de-	
scripta, <i>ibid.</i> & 435. & seqq.	
Calcedonius ex vitro formosus, 82. Ejus va-	
ria & multiplex præparatio , <i>ibid.</i> & seqq.	
Omnium pulcherrimus describitur ,	94.
& seqq. Quid circa præparationem calce-	
donij observandum.	370
<b>Cali</b> , vide Kali.	
Canna vel fistula vitrarium expressa, 447 451	
Cerulæ in officinis vitrarium usus,	157
Chalybea mistura pro speculis.	197
Chrysoliti color in crystallo montana.	138
Chry-	

I N D E X.

<b>Chrysolitus orientalis.</b>	<b>150. 380. 391</b>
<b>Cineres vitriorum quales,</b> 293. Unde hodie advehantur, <i>ibid.</i> Non omnes sal æque candidum reddunt.	<b>313</b>
<b>Cineres ex diversis plantis &amp; herbis recensentur.</b>	<b>17. 18. 308. &amp;c seqq.</b>
<b>Cineres smegmatici unde advehantur</b> , 310 ex quibus arboribus parentur.	<b>ibid.</b>
<b>Cineres vegetabilium optimi quales.</b>	<b>ibid.</b>
<b>Cineres fraxini &amp; Oxyacanthi metallum redundunt candidum.</b>	<b>ibid.</b>
<b>Cinerum qualitas ut cognoscatur.</b>	<b>2. 298</b>
<b>Claudiani insignis locus de sphæra vitrea Archimedis.</b>	<b>264</b>
<b>Cocci color ut extrahatur.</b>	<b>204</b>
<b>Colcothar pro pictoribus.</b>	<b>361</b>
<b>Collum in vitro quid sit,</b> 28. 325. Semper decutendum antequam recens metallum ex olla promitur, <i>ibid.</i> Quare, <i>ibid.</i> Ubi conjiciendum.	<b>ibid.</b>
<b>Colores in vitro ante elaborationem bene miscendi</b> , 46. Male præparati venustatem & splendorem non exhibent, 71. Intendendi sunt vel diluendi pro ratione operis.	<b>46. 62</b>
<b>Colores in arte vitraria maxime insignes.</b>	<b>343</b>
<b>Compositum ex quo Calcedonij color fit quale sit.</b>	<b>70</b>
<b>Cribrum angustum &amp; ligna arida omne decus fornacis constituunt.</b>	<b>21</b>
<b>Crocus ferri vel Martis quid sit,</b> 36. 37. Ut fiat	

V 6

I N D E X.

- Fiat Sulphure, ibid. Aceto forti, 38. Aqua  
forti, 39. 361. Aqua regia. 40, & 361  
Crystallinum ut fiat, 28 & seqq. Idem ut fiat  
elegantius. 30  
Crystallo in Officina vitraria debentur pri-  
mæ. 302  
Crystallum montanam præparare, 142: 384.  
candem tingere colore viperæ, 135. ejus  
operatio valde periculosa, & caminum re-  
quirit largum. ibid.  
Crystallus ex pulviculo optima, 1. Omnium  
optima, 12 & seqq.  
Cuogolo quid sit, 303. Ubi colligatur. ibid.  
Cuprum omnium metallorum maxime mal-  
leabile est, 348. Malleabilitatem in cuden-  
dis nummis promovet, ibid. Modico igne  
funditur, ibid. Citra magnam difficulta-  
tem ab igne in pulverem resolvitur, ibid.  
facillime à spiritibus acidis vel sale corro-  
ditur, ibid. à cadmia augetur. 359  
Cyaneus vel turcinus color in arte vitraria  
præcipuus, 66. Ut fiat, ibid. & 200. 364*

E.

- E**Neausta ex qua materia fiant. 165  
Ejus vox unde derivata. 395  
Encausta & Amausa unum & idem. 383  
Encaustum *Album*, 167: 396. *Aque mari-*  
*næ*, 188. *Balassij coloris*, 215. *Caruleum.*  
179: 188. *Flavum*. 187. *Nigrum*. 183: 184.  
*Purpureum*. 185: 397. *Roseum*. 217: 218.  
*Rubrum*, 214. *Turcoidis colorem referens*  
co-

I N D E X.

178: 396. Violaceum,	189. Viride,
180.	
Experientia plus docet quam diuturna stu-	
dia.	18
Experimenta quibus tincturæ ex cupro extra-	
hantur.	352
Extractio humiditatis ex tartaro quam sit ne-	
cessaria.	300: 301
Extremitas vitri qua cannis adhæret semper	
decutienda antequam metallum recens ex	
olla promitur.	28: 325

F.

<b>F</b> errettum Hispanicum facere, 34:36. Quid	
significet, <i>ibid.</i> & 342. Ejus utilitas, 36.	
Ejus notæ 342. Unde derivetur. <i>ibid.</i> Eo	
capillos denigrant Hispani. <i>ibid.</i>	
Filix herba quando resecanda, 16: 307. Sal	
reddit copiosum, <i>ibid.</i> Aureum colorem	
mirum in modum reddit, 17. Sal tartari ei	
addi non debet. <i>ibid.</i>	
Fixa salia cuprum solvunt. 353	
Flavus color. 43	
<i>Florentina</i> , sumtum est h̄ic hoc vocabulum pro	
moneta quam Florentini <i>Piastram</i> vocant,	
eandem habet magnitudinem & crassitatem	
quam præ se fuit nummus nostratium,	
quem nos <i>Ducatonem</i> appellamus. 38	
Forfex vitrariorum. 451	
Fornaces in quibus cuprum & cadmia fun-	
ditur cuius sint magnitudinis & struc-	
ctorum. 356	
<b>F</b> or-	

I N D E X.

- Fornacis interior facies ex qua materia fabri-  
cata, 285. Exterior. 286  
Fornacum formæ diversæ, 278. & seqq. 432.  
& seqq.  
Fornax lignis siccis & durioribus calefacien-  
da. 25. 28. 29. 53. 322.  
Frittæ nomen unde derivetur, 318. Quid sit  
& quomodo fiat. 8. & seqq. 19. & seqq.  
318. & seqq. quot horis absolvatur, *ibid.*  
& seqq. ejus variæ species. *ibid.*  
Fritta in calcaria non commovetur nisi o-  
mnis fumus abierit. 279  
Frittæ quæ ex pulvere fit, & ejus quæ ex  
rochetta orientali extrahitur differentia. 20  
Fumus in fornace vitraria semper noxius est,  
& summe vitandus. 25. 28. 29. 54  
Fusor apud vitrarios quis. 279  
G.  
**G**Enistarum lacca. 192  
Glaſs unde derivetur. 237  
Glastum cur acquisiverit nomen vitri. 239  
Gluten piscium in officina vitraria. 198  
Granati color in vitro communi, 107. 108. In  
vitro plumbi. 131  
Granatus Bohemicus colorem in igne ser-  
vat. 393  
Grumi vini, 3. 31. Ut calcinentur, 81. 300.  
An differant à tartaro. 299  
Gypsum in officina vitraria, 199  
H.  
**H**Alfinellæ quid, 282. Earum locus in for-  
nace demonstratus. 449  
Ham-

I N D E X.

Hammonitrum.	318
Herbæ capillares an semen producant.	307
Herbæ quæ sal reddunt quando refecandæ.	308. & seqq.
Hyaciathi ex vitro plumbi confectio.	377

I.

<b>I</b> Aspis, 87. 369. 379. Fusionem non recipit.	245
Ignis in arte vitraria utramque facit paginam, <i>Præfat.</i> Ejus violentia in quibusdam noxia.	71
Isatis quid sit.	238
Instrumenta ferrea quibus operarij in arte vitraria utuntur munda & polita sint oportet, 28. Eorum varia nomina & figuræ.	447. & seqq.

K.

<b>K</b> Ali diversæ species.	293. & seqq.
Kali quando refecandum, 297. Et qua ratione cineres ex hac herba comburantur.	ibid.
Kircheri experimentum de vitro plumbi.	373

L.

<b>L</b> Ac virginis.	337
Lacca coccinea pro pictoribus, 203. & seqq. Balassij coloris, 215. Rubra instar sanguinis, 214. Varij coloris, 190. & seqq. Cyanea vel ultramarina.	200
Lacca ex ligno Brasiliensi, 210. Ex rubia, <i>ibid.</i> Ex granis Kermes 211. Ex floribus	

I N D E X.

- floribus Genistæ pro pictoribus, 192. Ex papavere, 193. Ex Rotis, *ibid.* & seqq. Ex Iride, *ibid.* Ex Violis rubris, *ibid.* Ex floribus Aurantiis, 194. Ex Papavere erratico, *ibid.* Ex floribus Borraginis, *ibid.* Ex floribus Brassicæ, *ibid.* Ex Gladio-  
lis. *ibid.*
- Lacca viridis ex Malva, 194. Ex Pimpinel-  
la, *ibid.* Ex omnibus aliis herbis. *ibid.*
- Lacteus color in vitro egregius, 113. Idem magis pulcher magisque candidus. 114
- Lapides qui vitro faciendo apti sunt, 8: 303.  
Eorum differentia. 302
- Lapides pretiosi colorem in igne depo-  
nunt. 329
- Leera quid sit, 284. Ejus descriptio, ac for-  
ma expressa, *ibid.* & 449. & seqq.
- Legumina quæ sal reddunt. 311
- Ligna dura & arida in Officina vitraria ad-  
hibenda. 25: 28, 29, 33, 322.
- Libavij de vitrariis judicium. 290
- Limatura ferri vel chalybis pro croco Mar-  
tis, 37: 38, 39, 40.
- Lixivium ex Soda vitrariorum & calce. 397

M.

- M**Agisterium quo cocci calor extrahi-  
tur. 204
- Magnesia unde dicta, 332. Hodie ex Ger-  
mania affertur, 333. Foditur etiam in  
Italia in montibus Viterbij, *ibid.* Pedemontana omnium optima, 26: 27, 33. So-  
mer-

\* \* \*

I N D E X.

- merketensis Pedemontanæ æquiparatur  
 341. Sapo vitri dicta. 332  
 Magnesiæ proprietates, 27: 29, 332, 340.  
     Ejus præparatio tingendo vitro. 33  
 Malleabile an possit confici vitrum. 275.  
     & seqq.  
 Margaritæ color in crystallo. 119  
 Marmor non liqueficit. 245  
 Marmoreus color in vitro ut fiat, 115. Frit-  
     tam crystalli, non rochettæ desiderat. ibid.  
 Massa, mons prope Carraram. 8  
 Materia ex qua smalta omnia fiunt. 165.  
     & seqq.  
 Mercurius non liqueficit. 248  
 Metalla pro coloribus bene calcinanda, 71.  
     non omnia fusionem recipiunt, uti nec o-  
     mnia semi metalla, 244. Uno eodemque  
     procedendi modo præparata, colores ta-  
     men mutant pro ratione ollarum. 321  
 Metallici colores male reclusi unionem vi-  
     tetur cum vitro ordinarie impedi-  
     unt. 70  
 Minij in Officina vitrariorum usus. 198  
 Modus quo elaboratur vitrum plumbi, 124.  
     Vitrum commune. 287  
 Modus quo sal Alkali à metallo separatur. 324  
 Molæ usus in tundendo tarso. 320  
 Monita pastas earumque colores concer-  
     nentia. 155. & seqq.  
 Mortarii lapidei in tundendo tarso usus. 9. 20.  
 Musaicum opus, 382. Ejus derivatio. ibid.  
 Musivum opus. ibid.  
 Niger

I N D E X.

N.

- |                                     |              |
|-------------------------------------|--------------|
| Niger color in vitro ut producatur, | III.         |
| Idem nigrum adhuc pulchrius.        | 112          |
| Nigrum pro encaustis.               | 184. & seqq. |
| Nitrum purgatum.                    | 73           |

O.

- |  |                                    |
|--|------------------------------------|
| <b>O</b> ccchio quid sit Italis.                                     | 36. 37. 284                        |
| Ollarum numerus in fornace pro ratione<br>orificiorum semper duplex, | 280. Qua-<br>re. <i>ibid.</i>      |
| Ollæ fusoriaæ ex qua materia constent,                               | 286.                               |
| Qua ratione formentur, <i>ibid.</i> Earum di-<br>versæ figuræ.       | 439. 449                           |
| Onychinus color.   | 43                                 |
| Opali color in crystallo montana.                                    | 136                                |
| Orpello quid sit,  | 41. ejus calcinatio & vir-<br>tus. |
|  | 42. & seqq.                        |

P.

- |                                      |   |
|--------------------------------------|---|
| <b>P</b> asta Chrysoliti orientalis, | 150. Coloris<br>cælestis, 151. crystalli montanæ, 142.                  |
| Granati orientalis,                  | 153. Saphiri orientalis,<br>152. Smaragdi orientalis, 144. 147. & seqq. |
| Topasij orientalis.                  | 149   |
| Pastarum diversarum confectio,       | 14. & seqq.<br>157. & seq.  |
| Perfici color in lacteo,             | 116. in tempore elæ-<br>borandus & quare. <i>ibid.</i>                  |
| Perpicilla ex vitro.                 | <i>Præfat.</i>  |
| Picæ marinæ color in vitro.          | 41. 47. 50. 58.<br><i>Pilæ</i>  |

I N D E X.

Pilæ lapideæ in officina vitrariorum usus.	7
Plantæ, & herbæ quæ sal reddunt,	308.
& seqq. Pro operationibus chymicis quando refecandæ.	307
Plantæ quæ colorem suppeditant ad extrahendam laccam.	399
Plumbi calcinatio.	122
Plumbum in se rediens ollas perrumpit,	375.
Quare. <i>ibid.</i> & 377.	
Poculorum & vasorum colores pro ratione magnitudinis vel intendendi vel minuendi.	46
Præfurnia duo requiruntur in omni fornace.	
282.	
Proprietatum vitri enumeratio,	246, 247
Pulvisculi nomen usu receptum.	291
Pulvisculus idem quod rochetta.	1. 291
Pulvis ruber multis in vitro coloribus inseriens.	48
Pyromachium quid sit.	285
R.	
<b>R</b> Amina di tre cotte quid.	50
Regia Greshamensis collegij Societas laudata, 236. Quem in finem erecta.	
<i>ibid.</i>	
Rochettæ nomen & natales,	1. 293.
Idem denotat quod pulvisculus. <i>ibid.</i> Exigua tamen harum specierum differentia,	291.
& seqq. ejus conficiendi modus,	292.
Sal candidius reddit Soda Hispanica.	1. 20.
Rosichiero quid sit Italis.	69, 365
Ruber color in vitro pellucidus.	43. 212
Ru-	

I N D E X.

Rubini color in crystallo montana.	236
Rubrum plenum, 116: 117, 373. inter co-	
lores difficiles numeratur, 104. In eo con-	
ficiendo summa attentione opus.	<i>ibid.</i>
Rubrum translucidum.	223
Rutabulum quid sit, 10. 449. Ejus figura	
expresa.	<i>ibid.</i>
S.	
<b>S</b> Accharum Saturni ut fiat.	160: 393
Sal Alkali, 323. Candidum est, 324. Gu-	
stu nitrum refert,	<i>ibid.</i>
Ab aere ac humi-	
ditate facile dissolvitur,	<i>ibid.</i>
Vitrum	
reddit fragile.	<i>ibid.</i>
metallum fluidum	
reddit,	<i>ibid.</i>
In Galliis copiose prostat,	<i>ibid.</i>
Galli eo utuntur loco salis communis,	<i>ibid.</i>
Exigua ejus quantitas cum antimonio & ni-	
tro mista, quantitatem croci adauget.	325
Sal ex calce muraria, 19. Ex diversis herbis ac	
plantis quando extrahendum, 16. & seqq.	
Ex crustaceis, & testaceis, 317. Sal marinum	
66. Saturni candidissimum, 160. Ex pulvi-	
sculo vel rochetta ut extrahatur. 1. & seqq.	
Qua ratione illud copiosius exeat.	3. 6, 12
Sal Tartari ut purificetur.	31
Salia loco sicco servanda, 313. Ex corpori-	
bus homogeneis optima.	312
Salis volatilis experimentum.	352
Saphiri color in vitro, 110: 372. Idem magis	
venustus, 111. Idem in vitro plumbi.	131.
Saphirus orientalis, 152. Ejus confectio	
juxta Portam.	391
Saroleman in Officina vitraria quis.	284
	S2-

I N D E X.

- Sarosel quid sit. 285  
 Saturni Sulphur, 161. Sal. 160. Saccharum. *ibid.*  
 Scoriæ in Officina vitraria usus, 54. Ejus bene  
 præparatæ signum, 55. 56. Ex ea elegans  
 aquæ marinæ color in crystallo. *ibid.*  
 Seraveza mons prope Carraram. 8  
 Smaltum, *Album.* 167. *Aqua Maris* 183.  
*Balassij coloris.* 215. *Cæruleum.* 179: 188.  
*Cæruleum pictorum,* 379. *Flavum,* 187. *Ni-*  
*grum,* 183. 184. *Purpureum,* 185. *Roseum,*  
 217: 218. *Turcoidis colorem referens,* 178.  
*Violaceum,* 189. *Viride,* 180. & seqq. Variis  
 coloribus inserviens. 363  
 Smaragdinus color in vitro communi. 50: 62,  
 63, 364. Idem in vitro plumbi. 128  
 Smaragdi confectio juxta Boëtium de Boot,  
 386. Juxta alios. *ibid.*  
 Soda quomodo, & ubi acquiratur, 297. Quan-  
 do in usum deduci cœperit. *ibid.*  
 Specula ex vitro. *Præf.*  
 Stanni in Officina vitraria usus. 165  
 Stratificare quid sit. 35: 60  
 Succi concreti omnes non liquefcunt: 244  
 Sulphur pro encaustis & laccis ut figuratur. 220  
 Sulphur Saturni purificatum. 160

T.

- T**Alcum fusionem non recipit. 244  
 Tarsus quid sit & qualis eligendus, 8. quam  
 minutissime tundendus, 9. elegantius vi-  
 trum præbet quam arena, 22. vitriolo dat  
 consistentiam, 301. ubi macer fuerit quid  
 agendum. 11  
 Tar-

I N D E X.

Tartarum quid sit, 326. Uturatur, 81. 300. ubi calcinandum, 326. Vasis adhæret, 299.	
Tartarum & grumi vini an recte dicantur unum & idem, 299.	
Tartarum vini rubri eligendum, 81.	
Tinctura Martis, 361. 362.	
Tomenti albi in officina vitraria usus, 203.	
Topasius orientalis, 149. Ejus confectio juxta Portam, 390.	
Topasij color in vitro plumb, 129. In crystallo montana, 136.	
Tremolante quid sit Italis, 41. Ejus calcinatio & virtus, ibid.	
Tudicula perforata expressa, 451.	
Turcicus color in vitro, 50. 66.	
Turcoidi naturali nativum colorem deperdi- tum restituere, 196.	

V.

<b>V</b> egetabilia omnia quæ copiam præbent alkalifati salis vitro apta sunt, 308. Pro- ratione tempestivitatis anni differunt, ibid.	
Viride ex Malva, 194. Ex Pimpinella, 64. 194. Smaragdinum, 50. 62. 63. Smaragdinum in vitro plumbi admirandum, 128.	
Viridis color admirandus, 64. 65.	
Vitrarij colores quos intendunt non semper assequuntur, 344.	
Vitrarij quot horis operentur, 290.	
Vitrarius alias fusor nuncupatus, 279.	
Vitri antiquitas, Praef Auth. 249. Ejus utilitas & commoditas, ibid. Ulus multiplex, 261. &c seqq.	
	Vitri-

I N D E X.

- Vitriolum Anglicum nullius pretij pro aqua  
forti, 350. Gedanense laudatur, *ibid.* ut  
purgetur.
- Vitriolum Veneris sine corrosivis spagyricè  
ut fiat. 79
- Vitriolum Veneris ex quo verus & intensus  
color cæruleus extrahitur. 19. 225
- Vitrum ubique parari potest. *Præfat Auth.*  
quam proxime accedit ad omne genus mi-  
neralium, *ibid.* An casu inventum sit, *ibid.*  
An malleabile confici possit, 268. & seqq.  
Liquescit non calcinatur, 248. An recte in-  
ter mineralia annumeretur, 240. & seqq.  
quamdiu in igne valido perseverare opor-  
teat, 326. Ab omni metallo tingitur, 329.  
Commune, 28. & seqq. Candidum ut fiat,  
*ibid.* Commune ut elaboretur. 287
- Vitrum Venetum veneno dissolvitur, 243.  
& seqq.
- Vitrum Cupri, 377. Plumbi, 120. 123. Stan-  
ni. 377
- Vitrum plumbi ut elaboretur. 124
- Vitrum plumbi calore smaragdi admiran-  
do. 125. 126
- Ultramarinus color vel Cyaneus. 66. 200
- Z.
- affera quid sit, 327. Unde nomen habeat,  
332. An terra sit, *ibid.* Vitrum tingit co-  
lore cæruleo, 327. Nuperæ inventionis res  
existimatur, 328. Ex Germania advehitur,  
*ibid.* Conjectura circa ejus confectionem.  
329. & seqq.
- Le-

Lector Benevole.

**D**um nos alibi hæremus, dum typographus abest, & opere expectationem nostram vel morantur vel fallunt, irreperserunt nonnulla, quæ vel lynceos fallerent, nonnulla quæ excusat nullam ratione possunt: ac de illis quidem non egerunt multum laboremus, quis enim bona menti agrè ferat erratum circa apices literarum & reliqua pro candore tuo eo, qui sequitur ordinè corrigas etiam atque etiam rogamus.

Pagina	linea	errata	correcta.
128	12.13	subſituta	subſtituta
211	2	aliſu	alius
260	24	recontiorum	recentiorum
283	4	lib. 10	lib. 12
301	6	ficaant	ficcant
339	21	cetre	certe
351	22	Sulphuræ	Sulphureæ
380	11	exhaltatio	exhalatio
404	6 & 7	reſtituerea	reſtituere
421	penult.	filium	filum
435	13	vitarijs	vitrarijs
ibid.	ibia.	fundo	fando
437	19.20	altiudo	altitudo
ibid.	23	la-	al-

